

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

192

P.C.N.12

05

T-200



1850

Wm. Lloyd Garrison

no 2663.

. Pidos

IN IDOLA
ORBIS TERRARUM
ACTIO

CONTINUATA
HONORIBUS

*Reverendorum, Perillustrium,
Prænobilium, ac Eruditorum
Dominorum, Dominorum*

AA. LL. & PHILOSOPHIÆ
NEO-DOCTORUM

Cum

In Alma, ac Regio-Principali
Soc. J. Universitate Claudiopolitana

P E R

R. P. ANDREAM PERINGER

è S. J. AA. LL. & Philosophiæ Doctorem,
ejusdemque Professore Emeritum,
ac p. t. SENIOREM

Supremâ Philosophiæ Laureâ

ORNARENTUR

A Spectabili Facultate Oratoria

OBLATA

Annò M. DCC. XLIX. Mense

Die

CLAUDIOPOLI,

Typis Academicis Soc. JESU.



Inv. 11



REVERENDI,
PERILLUSTRES, PRÆ-
NOBILES, AC
ERUDITI
DOMINI, DOMINI
NEO-DOCTORES!

*Sistite Viatores Philosophi,
& in hoc Honoris theatro,
in quod ardua meritorum fo-
res Vos induxere, Lauream à
Philosophia eruditis verticibus
Vestris imponendam capite.
Munus isthoc, vel amplioris
potius muneris argumentum Fi-
liis, quales Vos singulari in-
genii*

genii sagacitate, rarâ triennii
constantiâ probâstis, Mater
Sapientia debet: illud enim
seu fatum, seu infelicitas Vir-
tutis est, ut magna quamvis
sibi ipsa merces sit, suis tamen
in cultoribus non rarò langue-
at, certa nisi premiorum spe
constanter provehatur. Vos
utroque (ut de Philosophis cre-
dere licet) incitati iis ad vir-
tutem, & scientiam passibus
properâstis, ut non spei modò,
ad quam nos, quin Dacia ex-
arsit omnis, responderetis, ve-
rùm etiam amplissimos in utra-
que Republica honores Vos ipsi
meritis Vestris desponderetis.
Affectum in Vos nostrum ut
quaqua licet, ratione testare-
mur, Continuatam in IDO-
LA Orbis terrarum ACTIO-
NEM


NEM Honoribus Vestris inscribere placuit eo consilio, ut & Orbem Diabolorum olim servituti sponte subditum majorem in ruborem daremus, & eos, qui hodie veram Christi Ecclesiam cultus falsorum Numinum ut impii, ita rudes insimulant, redargueremus. Oppellam hanc Nosfram à stylo vilem: à materia Vestra non indignam auctoritate, & honore, si, quo nos offerimus animo, eo Vos dignamini obtutu, desideratum laboris nostri pretium jam tulimus.

HONORIS VESTRI

Studiofissimi

RHETORES CLAUDIOPOLITANI.

OB.



OBTULERUNT.
SPECTABILES.

JOANNES NEP. BOER de Kő-
vesd, Ungarus è Comitatu Hu-
nyadiensi Sem. S. Josephi Conv.

EMERICUS BOER de Nagy Be-
rivoi, Siculus ex Sede Hár-
m-Szék, Sem. S. Josephi Conv.

FRANCISCUS MACSKASI de
Tinkova, Ungarus è Comitatu
Hunyadiensi.

GEORGIUS MACSKASI de
Tinkova, Ungarus è Comitatu
Hunyadiensi.

JOSEPHUS MISKE de Magyar
Csefztve, Ungarus è Comitatu
Albenfi.

JOANNES RAPH. JABROCKY
de eadem, Ungarus è Co-
mitatu Doboczensi, Sem. S.
Josephi Convictor.

SIGISMUNDUS JABROCKY
de eadem, Ungarus è Comita-
tu Doboczensi, Sem. S. Josephi
Convictor.

FRANCISCUS XAVERIUS
KENDLER, Germanus Cibini-
ensis, Sem. S. Josephi Conv.

JOSEPHUS STOCKER, Ung.
Budensis è Comitatu Pesthi-
nensi, è Conv. Nob.

*PERILLUSTRES, PRÆ-
NOBILES, NOBILES.*

ALEXIUS SZEREDAI de Szent
Háromság, Siculus ex Sede
Maros, è Conv. Nob.

ANTONIUS VIZI, Ungarus Ma-
gyar-Láposiensis ex Comit. in-
terioris Szolnok, è Conv. Nob.

JOSEPHUS DOBRA de Zalathi-
na, Ungarus è Comitatu Alben-
si, è Conv. Nob.

JOSEPHUS PALFI Ungarus Fel-
söbanyensis è Comitatu Szath-
marinensi, è Conv. Nob.

PETRUS ENDES de Szent-Simon,
Siculus ex Sede Csik, è Conv. N.

GREGORIUS LUKACS *major*,
Armenus Szent Miklosiensis, ex
Sede Gyergyó.

GREGORIUS LUKACS *minor*,
Armenus Szent-Miklosiensis, ex
Sede Gyergyó.

IGNATIUS FICKERDT, Ungarus
Zalathnensis, è Comit Albenfi.

JOANNES KAUTZKI Germa-
nus Cibiniensis.

ACTIO



ACTIO XI.

In DEOS qui, dicuntur
MAJORES.
ARGUMENTUM.

M Arcus Varro posterioribus sexdecim Libris de Diis acutissimè disputavit, unòque complexus est DEOS Selectos, sive MAJORES duodecim mares videlicet: Janum, Jovem, Saturnum &c. Octo feminas: Tellurem, Cererem, Junonem &c. quos Imperio, ac majoribus in mundo administrationibus SELECTOS dicit: quibus etiam Horatius Flaccus, carmine sa-

culari, Romanum illius temporis Imperium, tanquam conservatoribus commendat:

*Diis probos mores docili juventæ,
Diis senectuti placidam quietem,
Romulæ genti date vèmq; prolèmq;
Et decus omne.*

Quos non naturâ, sed sacrilega institutione DEOS, ACTIO præsens irridet, atque convellit, eo quidem fine, ut unius veræ, sempiternæque DEITATIS dona; in tot Diabolos impia temeritate dividentem Orbem terrarum facti sui pudeat.

O Marce Varro ! (liceat mihi te hic Aurelii Augustini, Theologorum Aquilæ verbis alloqui) ô Marce Varro ! cernis equidem, cùm sis homo omnium

um

um acutissimus, & extra contro-
 versiam (quod Ciceroni de te ju-
 dicio) doctissimus; sed tamen
 homo, non DEUS, nec Spiritu
 DEI, ac luce ad videnda Divina
 illustratus, cernis, inquam, in
 hac DEORUM partitione, res Divi-
 næ ab humanis nugis, ac menda-
 ciis quàm longè sint disjunctæ,
 cum DEOS fabulosos alios, ad
 theatrum accomodatos, alios na-
 turales ad mundum, civiles de-
 mum alios ad urbem, distinxisti?
 nec tamen animadvertis homo
 (si homo es) Philosophe, mundum
 opus esse Divinum, Urbes verò,
 & theatra artis humanæ inventa;
 quid agis Philosophe? eosdem
 igitur DEOS, qui irridentur in sce-
 nis, proponis adorandos in tem-
 plis? sic? quibus mimi convitium
 faciunt, divinos iis honores po-
 pulus decernat? quid enim aliud

ostendunt illa simulacra ? quid formæ ? quid ætates, sexus ? quid denique varius ille DEORUM habitus ? quid hæc sibi volunt ? Numquid barbatum Jovem, & coronatum, imberbem Mercurium Poëtæ habent, Pontifices non habent ? Numquid, quos illi claudos, adrisum mutilos, exquisitis sceleribus factos vulgi ludibrio objiciunt ; hi, qua, neseio, religione ducti, integros effingunt, ac conregendis eorum vitiis velum obtendunt ? In illa porrò acuta disceptatione tota non vidisse te Virum Sapiientissimum miror, conveniens soli, æternóque DEO nomen, ac Majestatem, quæ sola mundum administrare potuit, in tot divisisse DEOS, quos *Selectos* dixisti, non imperiò minùs, quàm naturâ dissimiles ; quódque ridiculum magis, tam singulari industria

te fuisse Styló complexum munera
 singulorum, quidque sit, quòd
 Proceribus istis (ut alios omittam)
 Diis debeat thure, Votis, ac Vi-
 ctimis supplicari: cur autem uni-
 versâ illâ diligentia, acutus Phi-
 losophus, cur nullum demonstrâ-
 sti, vel nominâsti DEUM, à quo
 VITA Æterna poscenda sit? non-
 ne hæc una est, cujus causâ reli-
 giosus cultus erat exhibendus?
 quid enim amabo prodest, DEO-
 rum ope vivere beatè, si non da-
 tur æternum vivere beatè? Sed
 quàm sacrilegè ab istis vita æterna
 peteretur, qui vel non erant, vel
 mortui sunt, tam vanè, stultè, ac
 ridiculè mundi hujus, etiam ad
 tempus, administrationem iis at-
 tribui, quæ unius Veri DEI omnia
 gubernantis est proprietas; ACTIO-
 NE præsentis ostendam.

Age, Varro, dicito nobis, quid tuus iste *Janus* bifrons, quid *Terminus* sit? *Janus*, respondet, Mundus est. Ut quid igitur ad Janum dicuntur rerum initia pertinere, fines ad alterum, quem *Terminum* appellant? ut adeo propter initia, & fines duobus istis Diis menses duo dedicandi fuerint præter decem illos, quibus caput est *Martius*, sicque *Januarius* à *Jano*, reliqui *Terminalia* à *Termino* vocarentur. Numquid ergo ad mundum, qui *Janus* est, initia rerum pertinent, & fines non pertinent, ut alter illis *DEUS* sit præficiendus? quæ ista, quæso, vanitas! si *DEUS* est, dare illi imperium dimidium, & faciem *DUPLAM*? Numquid multò sapientius, Marce Varro, interpretareris, si eundem, & *Janum*, & *Terminum* diceres: atque alteram initiis faciem, finibus da-

res

res alteram; quoniam, qui rectè operatur, utrumque intendat, oportet: ità siquidem comparatum est, ut, qui non respicit initium, non prospiciat finem. Jam si vitam beatam in hoc mundo inchoari censerent, extra mundum perfici, & coronari, atque hoc nomine Jano, id est: Mundo solam initiorum tribuerent potestatem, profectò ei imperii majestate præponerent *Terminum*, nec eum citra injuriam à *Diis Proceribus* excluderent. Quanquam etiam nunc, quoniam duobus hisce Diis initia, finésque actionum vitæ præsentis attribuntur, Terminò dari debuit plus honoris; quis etenim inficias ierit, majore nos affici lætitia, cùm rem quamcunque exitu, qualem intendebamus, coronamus, atque cum toto pectore opus aggredimur, quo eventu, penitus ignari.

DE-

DEUM fecisti *Janum*, quem, si operando non respiciat finem, vel vocabulo hominis dignum prudentum judicabit nemo. Hæc Philosopho indigna, ad ea, quæ Diis ipsis injuriosa, veniamus.

Nonne DEOS inter ita Officia definivit Varro, ut multò excellentiora daret de plebe Diis, selectis viliora tribueret? Quid enim? plebeja inter Numina rejecit *Mentem* DEAM, quæ pueris *bonam mentem* impertiretur; quasi verò quidquam illâ majus homini ab ullo DEORUM præstari possit? quid enim prodest *Juno*, quam *Iterducam*, & *Domiducam* cæcitas commenta est, si itineri carpendo, aut in Domo *Mens* non sit bona; & tamen Procerum illa, hæc Plebejorum tenet locum, quæ profectò ipsi adeò *Minnervæ*, cui puerorum memoria refertur in acceptis, ipsi, inquam, *Minnervæ*.

nervæ tantò fuerat præferenda ,
 quantò nobiliùs est bona mente ,
 quàm ingente memoria esse orna-
 tum. Quid de *Virtute* dicam? cur
 amabo apud ipsos sæculi sapientes
 celebrata *Venus*, & obscurata est
Virtus? nonne ab his non Virtu-
 tis minùs, quàm Veneris consecra-
 tum numen, & merita illius esse
 majora, quis non videt? Aut, si hu-
 ic idcirco major debebatur nobili-
 tas, quòd plures nacta sit asseclas,
 quàm *Virtus*: id ego quæro: quam
 ob causam tantis DEam *Minervam*
 coluit cæcus orbis honoribus,
 dum in obscuro Dea *Pecunia* late-
 ret; cùm ex omni hominum gene-
 re plures in sui amorem alliciat
 avaritia, quàm scientia; quoniam
 ipsi adeò peritissimi artium Magi-
 stri artes suas pecuniaria mercede
 venales habent? Num igitur Sapi-
 entùm consiliò instituta, an impe-
 ritæ

ritæ multitudinis judiciô qualiscunq̃ ista *Deorum selectio* facta est? si hujus: cur *DEa* *Pecunia* *Minervæ* prælata non est? si *Sapientium*: cur *Veneri* *Virtus* cedere debuit? cùm eam mens, ratio, leges longè anteponant? Et, si *Fortunam*, quæ (ut *Sallustius* ait) in omni re dominatur, cuncta pro libidine vertentem, in *Procerum* illorum classem non retulerunt, *Felicitatem* miror: quam *DEam* quidem arâ, & thure fecerunt, inter *DEOS*, & illos maximos non collocatam ab iis, quibus sola *Felicitas* omnium instar *DEOrum* extitisset.

Et tu *Horati* *Flacce*! carmine sæculari rectiùs uni *Felicitati* *Romam* tuendam commendâsses: qua protegente, bonisque cunctis cumulante, quid amabo ad votum bene, beatèque vivendi deesset? Nam si *Felicitas* pacem Imperio daret,

Mars,

Mars, quid ageret, non haberet?
 Neque tum ad fulminantem Jo-
 vem eundum esset, quando una
 Felicitas Gygantum molitiones
 longissimè removeret, non Bac-
 cho, non Cereri supplicandum Fe-
 licitate omnis ubertatis parente.
 Neque Apollinis Templo, & Victi-
 mis opus esset pro oraculis, Neque
 Æsculapius Epidauro contra mor-
 bos adsciscendus. Non arma, non
 fulmina in hostes Vulcanus para-
 ret: absque Saturni munere auream
 semper ætatem viveremus. Pin-
 guia in pascuis armenta, tuti à lu-
 pis greges sine Panos vigiliis ob-
 errarent: Fortunati sine Junone
 ederentur partus, sine Minervæ
 gratia exquisita ingenii vi omnes
 pollerent. Non tuam, Romule,
 Vestam divinis ornare honoribus
 debueras, neque tuas Numa, Pom-
 pili, Vestales Salus Reipubl. requi-
 re.

rebat, quando Felicitas, custos
 optima; perpetuis pro illa vigiliis
 excubaret. Mercurium, cum stel-
 las inter locus non inveniretur, ut
 Diis tamen accenseretur, *DEUM*
sermonis decreverunt, & Bellona
 summa cum Marte potestate armis
 præposita est: verum quorsum hæc
 omnia? si una Felicitas non solum
 tribueret Eloquentiam, sed etiam
 victorias largiretur. Satis utique
 (quid enim desideraretur?) tum
 in numo supra laureatam Impera-
 toris frontem, missis *Pacifici, Victo-*
ris; aliisque id genus titulis, satis
 foret scribi: *Pius, Felix, Augustus.*
 Quid enim prohibeat *Felicitati*, si
 DEa est, populi Romani opes, sa-
 lutem, victorias, omnia adscribi?
 si porrò DEAM nuncupare nefas
 ducitis, concedite donum DEI es-
 se, quem unum, verum, solumque
 felicitatis largitorem, auctorem,
 con-

conservatorémq; credendo Christi
 sectatores non ad tempus mo-
 dō durantem, sed vitæ etiam æter-
 næ speramus beatitatem.

Quanquam quid ego hos de
 plebe DEos, DEAsque vindicare
 satago? quid injuriam, quæ *Sele-
 ctorum* numero exclusi, appello?
 quoniam, dum Majorum illorum
 dedecora scenæ, theatra, ludi ce-
 lebrant, horum maculas ipsa igno-
 bilitas satis contegit: altum de Ca-
 tio, Honorio, Locutio, Stata, La-
 verna, & sexcentis aliis, altum in-
 quam de his, quia ignobilibus, ta-
 cetur; dum Jovis adulteria, obscæ-
 nos Apollinis amores, sædam Bac-
 chi ingluviem, Junonis fastum, in-
 fames Veneris concubitus mimi,
 ac ludii maximo DEOrum dede-
 core decantant. Quid amabo lau-
 dis non alio magis nomine Majo-
 res inter censerī DEos, atque quòd
 viti-

vitiis ante alios nobilis quispiam probaretur? numerate DEOS, videte eorum opera, quem reperietis Majorem, non unà criminibus majoribus contaminatum?

Quod si ità se habet, DEORUM tandem vestrorum agnoscite vanitatem: agite, quid hæretis? agite, delete sacrilegæ temeritatis aras, templa superstitionum excindite, vanissima idola pedibus proterite, delete nomina, & numina funestissimas scelerum arces invadite, monstra expugnite, eradite, abolete Janos, & Joves. Quid enim, si Varroni & Janus mundus est, & Jupiter mundus, unus, ut alter, mundus, quid, inquam duo Dii sunt Janus, & Jupiter? cur seorsum habent templa, aras, victimas, dissimilia simulacra? Quid ergo aliud habes Jupiter, aliud Janus, uni uterque mundo præpositi?

ti? O cæcam hominum credulitatem! ô detestandam Dæmonum, tantâ mortalium ignorantia abutentium solertiam! sed ut finem faciamus, Valerium Soranum, hominem à vera DEI cognitione alienum audite:

Jupiter Omnipotens, Regum Rex ipse, DEUSQUE.

Progenitor, Genitrixque DEUM DEUS unus & omnis.

Cogitate: si Jupiter *Genitrix*, ad quid Juno? si UNUS; quorsum sexcenti Dii? cur non uni Jovi labores, vigilias impenditis? an non faciliùs, sin utiliùs, uni, quàm pluribus, serviretis diabolo? aut (quod unum necesse) quid perderetis, si pro omnibus unum nobiscum, V^{erum}, Sempiternúmque DEUM, æternæ datorem felicitatis confitendo in uno hoc compendio bonum omne inveniretis, & malum omne declinaretis.

ACTIO

ACTIO XII.

In DEOS Inferiores,

ARGUMENTUM.

DEOS minorum gentium
 (quibus sacrificabatur)
 fuisse innumeros, ostendit vel
 una Janua, cui custodienda ter-
 nos praposuere: DEum Forcu-
 lum, qui foribus præesset, DE-
 am Carduam, qua cardini, DE-
 um Limentinum, qui limen ser-
 varet. Quantum eorum exerci-
 tum extitisse putandum est,
 quos rebus praposuere majoris
 momenti? non quòd pauciorum
 præsidio res agi, servari que non
 potuissent, sed ut Diaboli auge-
 rentur numero, cultu, quorum

*arrogatam Divinitatem Actio
 hac explodit.*

INfinitam Christi Servatoris no-
 stripotentiam admirari unà, ac
 debitis celebrare encomiis qui
 cupit, ad unum id, missis aliis
 multitudine innumeris, magnitu-
 dine divinis ejus operibus, dili-
 gentem advertat animum, quantis
 ille diabolis, atque crudelissimis
 orbem terrarum inimicis liberârit.
 Mentem hîc, si lubet, **AA** in varias
 mundi partes reflectamus; quot
 ille amabo de inferis egit trium-
 phos? quanta tartaræ potestati
 eripuit spolia? quot armatos in-
 ermis ipse vicit, profligavit? quot
 aras comminuit, ut unicam sese
 hostiam, & aram, & Pontificem
 pro mundi delictis, pro injuriis
 placando Patri æterno dedicaret?
 Ubi nunc sunt Dii Montani? Dii
B
Infe-

Inferi? ubi Lares? ubi Penates?
 ubi maris? ubi nemorum custo-
 des? ubi Genii? Dii nuptiales,
 Præsides parturientibus dati cum
 ara, thure, victimis ubi sunt?
 Ubi caput humanum Jovi sacrum?
 pectus Neptuno? frons Genio?
 Tenebræ hæ erant, monstra tartari!
 discussit jam æternæ lumen ve-
 ritatis Christus: fraudes vestræ pa-
 tent, scelera vestra tenemus: ar-
 rogatam per summum nefas divi-
 nitatem ponite, DEO vero, æter-
 no restituite: redde, quod arripu-
 eras, superciliorum dominium, Ju-
 no, cupido oculorum, aurium Me-
 moria dominatum uni cæli, & ter-
 ræ domino concedite, tradite. Et
 quî, quæso, qua fronte, qua teme-
 ritate, quo ausu sacrilego ista inva-
 seratis? nonne vestræ vos condi-
 tionis, potentia meminissem oportebat,
 quæ vilis adeo, adeo exiguis

is circumscripta limitibus, risu,
 quàm adoratione dignior meritò
 omnibus ut censeatur.

Nam si uni *Forculo* integra (quid
 vilius?) Janua concedi non po-
 tuit custodienda, sed alii require-
 bantur duo Dii ad munimen cardi-
 nis, & liminis securitatem: quid
 de gravioribus, quæ, ut fucum igna-
 ris faceretis, vobis vindicâstis,
 quid, inquam, de gravioribus ope-
 ribus sentiendum sit, quis non vi-
 det? Nobis una ancilla domi reli-
 cta ad custodiam domûs adversus
 ignem, & latronem sufficit: hic vix
 tres (ð potentiam DEORUM!) vix
 tres tuendæ uni Januæ satis erant
 Dii. Demus palatium, denis in-
 structum portis, triginta omninò
 Præsides, quas tamen apud nos
 unus sæpè armatus satis custodiat,
 triginta, inquam, Præsides, & non
 qualescunque, verùm DEOS esse

necessarios asseremus. Atque, tot Diis palatii custodibus, ab igne, à furibus putatis non violata palatia? contagio, morbi, ne limina intrarent, defensa à tot Diis fuisse censetis? id verò minimè: quoties enim incendiis ædes absumptæ? morbis, contagione non unius domicilii, sed Urbium, quin Provinciarum populus propè universus non rarò exhaustus: Quid fures? hi sanè alios, quàm ligneos ejusmodi DEos domorum, thesaurique custodes nunquam exoptassent. Verùm majora hæc concedamus: ad hoc quis risum dicam potiùs, quàm indignationem, teneat?

Ad infantis cunas geminas posuère DEas: *Edulicam* alteram, *Posinam* alteram dixère: quæ hæc dementia? cur nemo hodie nutrices adhibet infanti, quarum altera

ni-

nihil, nisi escam, nisi potum altera, ministraret nihil? nonne una utriusque sufficit obsequio? ibi duæ sunt, & DEÆ sunt, utraque sacrificiõ coli, victimis cupit placari: hoc nempe est insanientium desiderare, exigere impudentium. Sed meruerint hæ thura, aras, licet; quia; ut volebant, Præsides: quo autem nomine ista DEO Sylvano delata? quid aris, & Sylvano commune? nisi forsitan secus sive ad extremam hominum amentiam, seu inauditam DEORUM superbiam quidpiam desiderari visum fuisset? Quis enim non abunde perspicit indignas, non dico, Majestate Divina, sed vel homine ad quidlibet audendum projecto, ejus insidias, in domos puerperarum iniquissime intentatas? idque non palam, non in luce, quam DEUS hic fugiebat, sed nocte concubias? Vereba-

re forsan, Sylvane, ne indignius, quàm Numinis pateretur, maestas, ab obstetricibus, & vetulis excipiaris? in tenebris igitur divinum scilicet munus agere solebas, ut dum anus altum dormirent, genitricibus tutis esse nequaquam liceret, nisi contra insanas molitiones tuas Dii non pauciores tribus adhiberentur. *Intercidonem* igitur à fulminea, quàm adversus Sylvanum vibraret, securi (pulchri Dii, qui securibus inter se rem agunt!) *Pilumnus* à pilo (unde: *Et pila miantia pilis*) atque *Diverram* à scopis ei opposuere, quibus custodibus contra vim DEI Sylvani mulier, quæ pareret, conservaretur. Ità ad propulsandam DEI nocentis favitiam non sufficeret custodia bonorum, nisi contra unum tres essent, tres, inquam, adversus unum montium incolam urbani, ac siviles Dii advigilarent. Quid

Quid dicam, cū nuptiæ con-
 junguntur? adhibetur novus DE-
 us *Jugatinus*, sit hoc ferendum:
 sed domum est ducenda, quæ nu-
 bit, DEus *Domiducus* adhibetur, &
 tantillo pro labore sacrificium pe-
 tit. Ut in Domo sit, DEO *Domiti-*
o, ut cum Viro maneat, *Manturnæ*
 DEÆ thure, precibus litatur. Quid
 hoc? impletur cubiculum turbâ
 Numinum conviviiis etiam jam so-
 lutis? Hoc parùm: ultra desipere
 placuit: Primæ (si Varroni fides)
 nuptiarum nocti alii sex Dii assigna-
 to singulis munere assistebant, &
 in sola domo: quot igitur nubentium
 centuriæ in orbe terrarum
 fuerint, toties opus erit sexcentos
 adesse DEos, qui in-tuenda vel pri-
 ma nocte evigilarent. Magnum
 hoc dementiæ genus, istud non
 minus: in mari (huic quoque ut
 præficerentur, DEOrum Superbia

persuasit) in mari, inquam, minime tuta esse navigia solo Neptuno Præsidente existimavere, integrum de plebe DEORUM æquè, ac DEARUM gregem ei addidère: atque, ut reliquos taceam, *Venilia* non ultimi muneris DEA credebatur, puta scilicet unda, quæ ad littus venit, & *Salacia*, quæ redit ad Solum. Hic enim verò & tantam illius temporis ignorantiam admirari licet, & iniquos DEORUM, quibus miseros lusere, dolos execrari! cur amabo duæ fiunt DEÆ *Venilia*, & *Salacia*? an alia est unda, quæ venit, & quæ redit, alia? hoc negatis? si igitur una, eadèmq;: quæ causa, ut duas statuatis DEAS? tacetis? dicam ego: illa illa nempe, qua iniquior nec esse, nec fingi potest: ut vanitatis hujus occasione duobus diabolis invitatis & Verus, Sempiternusque DEUS, *cujus est*

mare;

mare, offendatur; & anima, quæ it,
 & non redit, sædissima peccati la-
 be maculetur.

Atque, seu ut vanitati DEOrum
 tegendæ velum aliquod obtende-
 retur, sive ne tot diaboli otiosi de-
 siderent, provisum est, ut creaturis
 aliis Numina quoque præessent
 alia, atque hinc factum, ut Libero
 Patri daretur Vinum, fontes Nym-
 phis attribuerentur: verùm quid
 hoc? cur, si vinum, fontes quoque
 Libero Patri credi non poterant?
 profectò (dicite quod res est) id
 factum, non ut Dii vos plures rege-
 rent, sed ut plura vos dæmonia pos-
 siderent. Et hinc quid con-
 sequimini? augetis DEOrum nu-
 merum, arctioribus potentiam de-
 scribitis limitibus: illud ut facere-
 tis, Superbia DEOrum imperat, hoc
 ut prohibeant, vel ignorant, vel
 quia minùs potentes, quàm Super-

bi esse malunt. Et hos ego, qui
 ne humanâ quidem potentiâ præ-
 ditî sunt, hos ego DEos esse dicam?
 Neque illud omittendum: quid,
 quæso, majestate Divina indignius
 cogitari potest, quàm irrideri in
 theatris Nympham, à qua vinum
 petit Viator, quòd ipsa fonti, non
 cellæ vinariæ esset præposita? quo-
 modo illa, si DEA est, cultoribus
 immortalem dabit *vitam*, quæ *vi-*
tem non potest? Profectò si, ut
 vos ipsi fatemini, si ridiculum est à
 Cerere vinum, à Libero panem,
 aquam à Vulcano, à Nymphis
 ignem vel oblatiis victimis mendi-
 care: quantò dementius erit isto-
 rum præsidio terrena commenda-
 re regna; nedum immortalem ani-
 marum beatitatem omnibus mun-
 di regnis potiolem? qui Dii isti
 sempiterna sectatores suos felici-
 tate cumulabunt, quos ipsi adeò
 gen-


gentiles indignos censuerunt, quibus alia, quam isthæc infima, ac vilia curanda crederentur.

Sed neque sublimes illi Dii, quibus aras erexit Ægyptus altissimas majore digni honore, qui nihilō his potentiores; si etenim vires aderant, quare (mera nisi malitia intercessisset) veniente Domini exercituum Legato Moyse suum non defendit Serapis Imperium? cur DEO Israëlis non obviam pugnaturus advenit? cur Serpens Moyfis dracones Ægyptiorum deglutivit? an obdormivit Haanon ad tot plagas, & funera? cur muscarum, ac culicum exercitum nutu non delevit, si DEus, si Imperii Tutor, si Custos? Quare Erythræum mare duas in partes dividi Neptunus aspexit, & tacuit? quid dico? Regios exercitus fluctibus hauriri passus? Nimirum: ac dum

de plebe Divi isti, sed etiam Procerum maximi, illi fulminantes, illi tonantes, ut nihil ad creationem orbis terrarum contulerunt, ita manifestum puto esse oculos habentibus, neque in administrationem mundi non sui venire potuisse. Tantum abest, ut his pro æterna vita supplicetur, quos dominatione etiam terrena spoliatus Christus ad catenas relegavit æternas.

Quid igitur nefaria inferorum monstra, quid hic agitis? quid obsequia, thura, aras diaboli sacrilegè postulatis? quin ite, ite infelices Spiritus, secedite in tenebras, desinite tandem in fraudem miseros mortales impellere, locum, ad quem vos æterna condemnavit Sapiencia, repetite, inscripsit jam Christus DEI Filius sanguine suo cordibus nostris veræ characterem Fidei: scitote illud jam in nobis
lu.

lumen, illam esse constantiam, ut dolos vestros penitus pervideamus, machinas contemnamus. Ite, iterum dico, improbissimi scelerum omnium machinatores, ite cum summa totius populi salute, & cum vestra peste, & pernicie, cumque eorum exitio, qui suum vobis obsequium etiamnum deferunt. Nos Christus, quem populi, & veræ religionis conservatorem, & redemptorem verè nominamus, & credimus, eadem, qua vos excidit, virtute roboravit, veritatem mentibus infudit, ab aris, à templis non DEos, sed populi corruptores, latrones animarum, hostes suos capitales amotos æternis suppliciis vivos mactavit.



ACTIO XIII.

In Apollinem.

ARGUMENTUM.

*A*pollo Jovis, & Latona filius in speciosi Juvenis forma cultus, diversarum artium, quarum author credebatur, ac precipue vaticinandi peritiã itã genus humanum sibi devinxit, ut inter DEOS ab eo referretur. Superbus sub Apollinis nomine diabolus thure, & aris colebatur, qui præter celebrem in Rhodo colossum, ac magnificentissimum Delphis Templum, sive ut celo, unde exciderat, quoquomodo propior fieret, seu ut ceteros emineret, seu etiam

ut DEO æterno, & vero SOLIS authori illuderet, Solis nomen sibi sumpsit, sub eoque adorari, & oracula fundere ausu sacrilego voluit: quam ejus arrogantiam præsens ACTIO insectatur.

POSTEAQUAM Orbi terrarum verus Justitiæ Sol in mediæ noctis silentio diluxit, æterni DEI filii exortu Nox sicut dies illuminata, tenebrarum principes fugare, & sacrilegis oraculis silentium imperare cepit. O noctem sacratissimam! qua bonorum omnium fontem in orbem Christianum erupisse læti recordamur! Quid enim? animum ad miserandam orbis universi, quæ tum erat, faciem referamus, quid, inquam, erat summò non odiò detestandum? quàm pravi hominum sen-

sensus ? quàm affectus distorti ?
 quàm projectæ ad omne facinus
 voluntatum inclinationes ! ut adeò
 qui non iniqua meditaretur , non
 scrutaretur perversa , nefaria non
 moliretur , esset propè nemo . Quis
 amabo , si brevissimum Judææ an-
 gulum excipias , verum Numen
 agnovit , adoravit ? DEI unius cul-
 tu longissimè exulante suos sibi
 quisque DEOS fingebat ad arbitri-
 um , tot erant illi , quot erant tur-
 pissimæ cupiditates ; atque impia
 hominum natio ità nullum pone-
 bat perversitati modum , ut illa
 quibus se nefariè inquinabat , sce-
 lera prætento DEORUM nomine
 consecraret . Et , (quod caput ca-
 lamitatum erat) diuturnitate tem-
 poris confirmata mali hujus ini-
 quitas altiùs infederat animos ,
 quàm ut tolli posse videretur : At
 enim nox orta , quæ lumen attulit ,
 quod

quod densas superstitionum tenebras, crassam mentis cæcitatem sustulit, obscura Idolorum responsa illustravit, sceleratam truncorum Deitatem patefecit, & ardentia paucorum vota cumulavit, dum æternum de æterno lumine lumen ortus est Christus.

Quod si ita: quid tibi, Apollo, qui tartarea infectus fuligine orci vespertilio es, quid, inquam, tibi cum sole commune? quid? tunc currus, habenas, equos, laurum, quin etiam (quanta hæc temeritas!) thura, aras deponere ausus? Nonne, qui sacrilegâ impudentiâ DEUM te facis, si DEUS non es, quod DEO proprium est, scelerum architectus postulas? si DEUS es: iniquum cupere quâ potes? Ex te ipso nunc quæro: dic nobis, Apollo, num quid operæ tuæ ad cæli creationem contulisti: num omnia

potens DEI manus ad excelsum
 hoc opus te egebat ad jutore? id
 equidem nec fraudum parens
 mentiri audes: dum igitur nefariè
 postulas, ut pro tam benefico lu-
 minari, Conditoris OPT. MAX.
 honore obliterato, tenebrarum
 Principi dona consecrentur, ini-
 quum petere orbe palàm dicaris,
 oportet. Tu Octaviano Augusto
 post oblatam Hecatomben, dum,
 cui potentiam successori tenditu-
 rus esset, in consilium te vocaret,
 primùm conticescendo silentium
 simulâsti, vel quid responderes non
 tibi succurrit, vel novis ut hostiis
 honoratus Cæsari solaribus undi-
 que circumfulgens radiis te spe-
 ctandum, adorandùmque offer-
 res. Vah! radios, qui tui non
 sunt, exue; quid alienis DEus su-
 perbis ornamentis? Et tu tanto in-
 umine etiã nec cæcutis, Rhode?

etiam.

etiã m nelyras, clypeos, fagittas
 Apollini appendis? Desine tandem
 Apollinem, desine Diabolum
 scelesto colere famulatu: servi-
 sti satis, & damnò nunquam repa-
 randò serviisti: age jam lumen
 æternum intuere, & quæ solem
 adorans in tenebris palpabas, agni-
 ta veritate Colossum illum Solis
 vero SOLI JESU Christo, non quò
 fit SOL, sed Conditor Solis, sem-
 piternò veræ religionis testimo-
 niò dica, consecraque.

Sed te adhuc paucis volo Apol-
 lo: Tu, quòd de genere Græco
 natus, ingenio quondam, ac eru-
 ditione inclytus patriæ civis ex-
 titisti, satis esse tibi poterat ad
 perennem virtutis memoriam ista
 animi cultura, ac fama: & cur non?
 quando minore, atque tu es, eru-
 ditione celebratis Græcia Statuas
 dedicavit? Nam si mihi tecum,
 Apol-

Apollo jocari fas est, tua in perso-
 na *Hominem*, & *Diabolum* secer-
 nam, atque cum hoc nihil: cum
 illo omnis serino. Quòd pulcher-
 rimarum inventor artium fuisse di-
 caris, laudamus: quòd Dæmon,
 vitio damus. Laudamus in musi-
 cis privilegium ducis, vitupera-
 mus *Angelum lucis*. Medicinæ, ac
 cytharæ inventor Colossò dignus,
 Divinator abyssò: Corporum ser-
 vatori corona, orbis corruptori
 tormenta debentur. Bonus fuisti
Cynthus, melior *Delius*, pessimus
Delphicus. Latonæ filium novi-
 mus, Pythium vitamus. Amamus
 omnes cantica, execramur oracu-
 la. Parnassum, ac laurum vove-
 mus Apollini, sacrificium negamus
 SOLI. *Inventum medicinà meum*
est: grande meritum! Per me quod
eritque, fuitque, estque, patet: sin-
gulare mendacium: Illud prolocu-
 tus

tus es, ut opifer: istud, ut Lucifer, O quantò satiùs Apollo tibi erat, æterna vernantem juventute, integrâ famâ humanam retinere conditionem, quàm æternâ puniri Dæmonum flammâ! Homo fuisti veridicus, DEUS mendax. Ornâsti Græciam pharmacô, attraxisti gentes eloquentiâ, studiô, labore, vigiliis famam ultra mare extendisti clarissimæ virtutis, ac nominis tui: utrumque perdidisti oraculô, divinatione.

Hæc nempe superbæ ingratitude in pœna debetur, ut, dum DEI donis datoris immemores in futilia, quin & contra authorem turpissimè abutimur, justissimè iisdem privemur: quid enim & frequentius, & execrandum magis vel fingi potest, atque homo, nobilissima DEI creatura, rationis compos, DEI tamen sui immemor? An hic
ali-

aliter facit, atque Sabellici, qui glandiferis in nemoribus lautè pascuntur, quin unquam in pastorem, cujus benefica manu glandes cadunt oculos attollant: hoc in brutis tolerandum, in homine, cui Creator os sublime dedit, quis ferat? Apollo! *Tu quid habes, quod non accepisti?* Magnum facinus, non videre, unde tot tibi naturæ, & gratiæ ornamenta provenêre; non subdi DEO, crimen grande; DEO parem fieri scelus atrocissimum; quid dicam DEum verum, æternum nec parem tolerare, sed obliterato ejus etiam nomine divinas sibi partes soli sumere? hæc sanè tanta amentia, tanta improbitas est, nihil ut ad eam addi posse videatur. Et tu hoc ausus, Apollo! Melior profectò fuisti quondam in exilio, Admeti ovibus præpositus, hoc est, in omni fortuna


nã varietate tui non immemor,
 quàm DEUS à pastoribus adora-
 tus; Sapiens, cùm in cubiculis,
 in conviviis cytharâ Insisti, demens
 cùm solem induisti. Qui securus
 tuæ gloriæ eras moderata in for-
 tuna, cùm non concessi sublimita-
 tem honoris captâsti, tollebaris in
 altum, ut lapsu ruentem graviore
 cum omnibus armis tuis excipe-
 rent tartara, lucéque, quam tibi
 impudens arrogaveras, privatus in
 imum inferni altiùs demergere-
 ris, tumulareris. Infelix Apollo,
 qui tantus aliis Vates, tibi hæc ipsi
 divinare ignorabas!

Satis equidem istud ad infelici-
 tatem Apollinis esse poterat, at
 non satis diabolo ad exsatiandam
 in genus humanum crudelitatem,
 quin necesse erat, ut speciosis qui-
 busdam nequitix artibus miseros
 irretiret; quò enim stupenda illa

orbis miracula, quæ personato huic diabolo verus exhibuit diabolus, quò, inquam, ea pertinebant, nisi ut fucò hoc excæcati æternæ lumen veritatis ignorarent? Quid facit in Bœotia admirabilis illa templi structura? quid apud Delphos, & Romæ laureatæ illæ aræ? quid ante aram bos ille cornibus auratis? quid capræ aurò fulgentes? quid coronatus in sacrificio populus? quid depositi immensi Græciæ thesauri? quid Urbium, Regumque Legati? quid appullæ coronatis cum hostiis naves? quid, inquam, hæc omnia volunt; nisi ut tuis orbis terrarum seductus oraculis, mendaciis involutus ingemiscat aliquando Angeli lucis nefandis fraudibus æternæ, atque increatæ lucis se beatitate excidisse.

Nos verò, quoniam meliore fidei
 lumine Christus illustravit, men-
 dacia tua execramur, oracula ri-
 demus: nihil tibi cum fideli popu-
 lo: honore, dignitate, Deitate ex-
 cidisti; non enim jam tenebris au-
 sus nefarii obscurantur, illustran-
 tur, erumpunt impia facinora: Re-
 linque tripodem, oracula obli-
 scere, teneris undique, luce sunt
 clariora nobis tua scelera omnia.
 Proficiscere proin. Apollo, profi-
 ciscere ab Urbe, ab aris, templa ve-
 ro DEO relinque, pestem, & rui-
 nam, quam tu in miseros machina-
 ris, in te ab Omnipotentia collata
 ut experiaris, proficiscere. Te *Pu-
 er Habræus* cedere sede jubet: Ser-
 viet Persarum Imperium SOLI
 DEO, at non tibi. Obmutesce,
 qui terras, gentes, exercitus lo-
 quacitate decepisti. Nobis Ora-
 culum, quod consulamus, unicum

*Verbum est, quod ex ore Altissimi
prodivit exultante mundo. Illi
sempiternum Imperium, tibi si-
lentium: illi gentium, Regum,
Imperatorum genua curvabuntur:
ex te nihil, præter nomen superè-
rit, & Christo jam consecrati A-
pollines ad laurum sempiterni ho-
noris vocabuntur.*



ACTIO XIV.

In Jovem Capitolinum.

ARGUMENTUM.

*Non erat satis diabolis, post-
quam amissâ verâ gloriâ
ad æternas calamitates sunt
damnati, rerum in orbe vilio-
rum dominatum arripere, in
calum sedem suam elevare ten-
târunt.*

târunt. Jupiter à Capitolio, ubi ei templum omnium, quæ Romæ erant, primum Tarquinius Priscus vovit, Tarquinius Superbus erexit, Horatius Consul dedicavit, Capitolinus dictus, divisio cum fratribus imperio sibi cælum vindicavit. Hic in forma barbati senis sinistra sceptrum, fulmen dextra præferentis cultus, etsi à summis sceleribus orbi notissimus; Rex tamen hominum, DEORUM Pater, Princeps, & Rector mundi haberi voluit, vel ambitione contra Creatorem, vel capitali ingenus humanum odio stimulatus, quæ ejus insolentia ACTIONE hac exagitur.

Superâsti, Capitoline Jupiter,
 omnes, qui te hæctenus secu-
 ti, sceleratos, superâsti incredibili
 audacia, insana temeritate, errore,
 ac perfidia singulari superâsti. Ha-
 bes scilicet facti gloriam ut tibi
 æternùm pænitentiam ità à nemi-
 ne æquandam. Quis unquam tan-
 tam in Angelo, spiritu excelso, tan-
 tam amentiam, quis in creatura
 tantam arrogantiam reperiri posse
 credidisset, nisi tuò tu post homi-
 nes natos in auditò exemplò do-
 cuisses. Quid enim? tete ap-
 pello, Jupiter, quid illud, quod tu
 nefariè attentâsti? nonne scelus,
 quod cælum conturbavit, terram
 vastavit, inferos fabricavit. Po-
 tuit igitur in te Jupiter tanta repe-
 riri cæcitas, ut DEO, Creatore tuo
 contempto seditionibus primus
 cælum misceres? Tantùmne im-
 poten-

potenti apud te arrogantia licuit, ut neque te memineras esse creaturam, neque Deum pertimueris ultorem? tantane tibi pereundi infania fuit, ut, ne solus interires, à Præpotentis DEI reverentia, & obsequio tertiam Angelicorum ordinum partem arrogantia incredibili abstraheres, sacrilego ausu in Deum armares, inque aciem protervus educeres? Egisti equidem hæc Jupiter, novimus; at quo tuo, perduelliumque sociorum fructu egisti? Hoc nempe, ut, qui signaculum divinitatis, divinam impudens appetiveras similitudinem, ex Lucifero fieres draco terribissimus, mox in æternas catenas induendus. Infelix hæc mutatio poterat apud te valere tantum, ut æternâ notatus ignominia, abjectus, occultus omnibus delitesceres, verum, unde submissionis

debueras , vefaniæ fumpſiſti occaſionem , qui ſcilicet invidentiæ ſuriis agitatus , ac mendaciô armatus , uno fatali pomo primùm mulierem (fortè virum non auſus) lenociniô eloquentiæ aggreſſus , tum per hanc deceptam , atque perſuaſam , ipſum generis noſtri principem , & in uno illo viro omne genus humanum vaſerhoſtis ultimâ ruinâ involviſti , criminumque tuorum , ac damnationis confortes nos effeciſti .

Non ſuffecit ſtygio huic veteratori hominem in exitium vocare , verùm etiam , ne fortè puderet olim minùs fuiſſe impudentem , ipſum Numen Supremum ſceleftis machinationibus aggreſſi non verebatur , dum ipſe inimicorum DEI ſuſcepto per orbem terrarum principatu , nefariis gentes , ac nationes omnes ſimulacris , ac religio-

gionibus contaminatissimis, spurcissimis, & execrandis implevit sacrilegiis, Creatoris OPT. MAX. memoriam ubique, quantum in ipso erat, eradicando, extirpando. Ipse adulteriis & exempla dedit, & theatra instituit, ac ludos. Ex quibus, quæ DEum immortalem flagitia originem duxere? inde profectò Venter adoratus, inde sine lege, sine fine Epicuri de grege animalia prodiere, inde impudentia, luxus, inde ambitio, & pudenda dedecora orbem inundarunt, inde denique bella, contentiones, cædes exarserunt ipso auctore tartaro, ac tyranno.

Ista perditissimus hic Spiritus in DEum, hominémque auctus, & tamen auctorem, conservatorémque Imperii, ac Urbis Romanæ diabolum audire quis non perhorrescat? quis ferat apud Poëtam Jovem de

Roma terrestri, ac civibus loquentem:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:

Imperium sine fine dedi - -

Tu ergo Jupiter Romanis dedisti potentiam, qua orbem pene universum sub jugum mitterent? tu honores, quibus gentes, & nationes omnes longissimè superarent? tu opibus cumulasti tantis, ut, quod orbis haberet, Romanorum esset? & quæ summa est liberalitatis, *sine fine* dedisti. At enim ubi Romæ veteris gloria? quò tantæ opes defluerunt? ubi monumenta Majorum, ubi tot clientelæ populorum? ubi fana Numinum? ubi Pantheon illustre illud DEORUM habitaculum? ubi, inquam, hæc? quò omnia abiêre? Ubi è Capitolio spolia gentium? ubi coronæ 300. arma, clypei aurei, scuta,

ta, manubia? ubi porta illa tot testis triumphorum, per quam unam ingrediebantur Asiaticæ deliciae, Persicæ gazæ, Macedonici thesauri, Judæa supellex, Africanæ beluæ, vel candore dentium ad pompam ostentatæ, vel sevitie ad cruentas theatrorum voluptates pretiosa? ubi nunc tituli, & clara Africani, Germanici, Parthici cognomina? Ubi triumphi? ubi festivæ acclamations? Ubi tua Juli Cæsar inter DEos statua, ubi sedes aurea? ubi vestræ Cn. Pompei, C. Mari, Fabi Maximo, Fur. Camille aræ? ubi simulacra juxta DEos? ab Jove hæc vestra, & Urbis repetitive ornamenta. Hæc est, Jupiter, æternitas, quam tu Romæ pollicebaris? sic dominationem sempiternam spondidisti, ut illa hodie gloriam, potentiam, magnitudinem non nisi ruinis testaretur. Næ

Vates ille longè prudentiùs, dum suo loquebatur nomine, veriùsque præmonuit: *Res Romanas, perituráque Regna*: quando subinde Gotthorum, Vandalorúmque armis eversa mænia, delubra comminuta, Capitolium solò æquatum, Urbs denique tota suis tumultata ruderibus docuit *mendacem* fuisse Jovem, æternitatem metis Imperii prædicentem; dum nempe intra Urbis mænia tutis esse civibus non licuit, ne barbarorum furis protererentur. Homo veridicus, mendax DEUS.

Miretur jam aliquis te, Jupiter, mendacem, intolerabili etiam superbia tumere, cujus clarum in Christo Servatore nostro, vero DEI Filio edidisti documentum: tu namque ausus (quid est autem, quod tu non audeas?) tu, inquam, mundi imperio, ac regnis, quæ tua
 non

non erant ostentatis, ac sub unum
 conspectum positis ea polliceri
 Christo ausus es, si cadens te ado-
 rârit. O votum nefarium! ô de-
 siderium sceleratum! Quando ad
 hanc tuam ambitionem proteren-
 dam non legiones Angelorum ar-
 mabit cælum? quando fulmina
 non expediet? verùm quorsum
 ista? satis erat unus Regni DEI mi-
 nister, & ille inops, nudus, inermis,
 ut conculeet omnem illum fastum
Pes, pedes pauperis, ut illis pedibus,
 quibus super mare gradiebatur,
 collum insipientis Tyranni calcet,
 divinæque vim potestatis exerce-
 at *Ad alligandos Reges eorum in*
compedibus, & nobiles eorum in
manicis ferreis.

Elusus ab æterna Sapientia ne-
 quissimus Spiritus à dolis, & arti-
 bus ad furorem conversus quas
 non machinatus insidias, quæ non

intentavit mala? atque, ut cætera
 taceam, quid de capitali in Chri-
 stum odio, quamvis majore furia,
 quàm viribus suscepto dicam? Ille
 Ælio Adriano auctor fuit ad abo-
 lendam Christi nati, Crucisque, in
 qua salus mundi pependit, memo-
 riam, ut in antro Bethlemitico con-
 secraret Adonidem, in Calvario
 colle collocaret marmoream (proh
 nefas!) Veneris statuam; deni-
 que, in Olivarum jugo, ut i ascen-
 dentis in Cælos Servatoris Nostri
 triumphalia steterè vestigia. Jovis
 fulminantis simulacrum dedicaret.
 Vah monstra impudentissima! quid
 tu Adoni in loco illo sacratissimo?
 tunc, ubi Divinus infans vagiit, im-
 pia fundere oracula? tunc, Venus
 fædissima, quam puritatis exem-
 plar sibi vendicavit, terram inva-
 dere? & tu fulmina Jupiter in
 monte minitari, ubi Christus sacræ
Cru-

Crucis signum, quo te fideles fugaremus, ultimùm nobis tradidit? quin secedite scelestæ Numina, sanctissima, quæ per summum scelus usurpâstis, loca DEO æterno relinquire, restituite.

Verùm cum suam in Christum rabiem exerere non valeret, eum in membris, ac fidelibus persequi instituit; mox enim ad evertendam Christi Ecclesiam gemina, eaque funestissima incubuit face: hostibus nostris iram, arma, consilia, ignes, rotas, equuleos, cæteraque crudelitatis instrumenta usque eò ministravit, dum tantum cruoris Christiani è venis omnibus profunderetur, ut humanitùs interitura videri posset res Christiana, nisi sanguis tot clarissimorum Martyrum novum fieret Seminarium Christianæ Religionis.

Alterum, quo nos aggressus, belli

genus multò perniciosissimum
 erat, quoniam collecto non jam
 ex hostibus, sed ex ipsis domesticis
 furiosissimo exercitu Hæretico-
 rum, qui Christiano sub nomine
 tantò luculentiora rei Christianæ
 inferrent detrimenta, quantò sub
 ovina pelle minùs à rapacissimis
 his lupis metuendum videbatur.
 Quæ, DEum bonum! quæ tellus
 ubi cruor noster non fuit? quæ
 Ecclesia, cui faces manibus conju-
 ratorum non subdidit infernus?
 quæ regio, quæ provincia, in qua
 plebem in Dominos, populum in
 Principes, subditos in sacram
 æquè, ac profanam potestatem,
 quin filios in Patres damnò nun-
 quam recuperando Hæresis infer-
 ni furia non armavit? Novimus,
 & non gravi sine dolore hodie
 quoque sentimus, quid infames hi
 Patrum optimorum nepotes,
 post-

postquam pestiferis corrupti opinionibus à veteri, avitâque Majorum Religione impiè desciverunt, quid, inquam, hi egerint, agântque; quem illi non rogum excitârunt, quas non expediverunt catastas, ut veram populorum fidem, pietatem, constantiamque labefactarent? quid reliquère intentatum, ut omnem religionis cultum, sanctitatis amorem, subjectorum observantiam, juratam DEO fidem sacrilegiis, impietate, perfidia, omnique flagitiorum genere everterent? quibus non tranquillitatem publicam tumultibus, amicitiam odiis, pacem seditionibus inflammare, exterminare conabantur? Tu tu, Jupiter, facem illam perniciosissimam, Hæresim, qua ad omne scelus amentia, atque audacia singulari raperentur, ministrâsti; tu flammam illam concitâsti,

sti, qua non civitas una, sed regna
 integra conflagrarent. Testis est
 horum Europa omnis, in qua tan-
 tum hæc fax, hæc exarsit flamma,
 ut non alio, quàm infelicium tuo-
 rum clientum sanguine, aut (ubi
 factorum pænituverit) lachrymis
 extinguere posse videatur. Neque
 est sanè, cur quispiam miretur;
 anne enim poterat turbas concire,
 calamitates invehere, tumultibus
 miscere orbem terrarum, qui cœ-
 lum omne in nefaria arma conci-
 vit? Sed infelix, Jupiter, quæ te
 fortuna in cælo, eadem in terra ex-
 cepit. Quid enim? ut duos cæ-
 lum Soles, ità Templum duos uno
 in Solio DEos non capit.

Egredere igitur de Capitolio, Ju-
 piter, proficiscere Tyrannæ genti-
 um, apage fatale iniquitatis por-
 tentum, excede fraudum artifex,
 pestis, labes bonorum facesse. Te
 ultra

ultra Roma non fert, boni exec-
 crantur, ipsa urbis mænia, locus
 ipse, quem turpissimis sceleribus
 contaminâsti, tacita quadam voce
 ità perstringunt: ito Jupiter, ad-
 hucne moraris? sacrilega cede
 possessione, trifulcum fulmen,
 quod non tuum est, redde Crea-
 tori. Scito Romæ nihil deinceps
 fore commune cum inimico DEI,
 posteaquam Servator OPT. MAX.
 sicut orientem suimet pretiosissi-
 mi cruoris purpurâ ornavit; sic in
 occidentem Petrum destinavit Vi-
 carium, cujus & effuso sanguine
 Imperium voluit esse nobili-
 tatum.



ACTIO



ACTIO XV.

In Æsculapium.

ARGUMENTUM.

GRavi Romam pestilentia
 vastante, unde remedium
 malo adferretur, non erat: qua-
 re (ut in talibus) ad oracula
 ventum: hæc Æsculapium ab
 Epidauris accersendum jussê-
 re, verùm cum isti DEum opi-
 tulatorem à se inviti dimitte-
 rent, eaque causa cunctantibus
 iis ingens anguis, cujus in Sym-
 bolo DEus hic adorabatur, ad
 Romanorum triremem sese
 collocat, quem hi Æsculapium
 rati magna cum veneratione

Romani adducunt suo in Pantheo DEos inter collocandum. Nefariam hanc Anguis tartarei Superbiam, quâ oblatos sibi ob medicinæ scientiam divinos honores admittere ausus, præsens ACTIO persequitur.

Naturæ geniô felix Roma
 ut Magnorum Mater facinororum, ita vanissimarum, dum veræ Fidei lumine caruisset, superstitionum receptaculum erat. Habebat illa DEorum alios inter stellas relatos, qui cælos (neque enim his moderandis unus suffecerat) gubernarent; habebat humi repentes, alios fabros, agrorum, vitiûmque cultores alios, DEos alios bellis prælecit, alios paci. Habebat, qui concentum regerent musicum, non deerant, qui
 divi-

divinationibus futurorum eventuum, aut mulierum partibus præessent; DEum etiam (ne longior sim) Discordiam, & (quis credat !) civitate, thure, Templo donatam DEam *Febrem*. Unus tanto DEOrum gregi DEUS MEDICUS deesse videbatur; oportebat igitur, qui domi sive ad hominum insaniam, sive DEOrum vanitatem ostendendam desiderabatur, Epidaurο grandi & pretio, & legatione advocari, ornatissimòque Romam navigio perferri. Quæ verò isthæc mortalium cæcitas, quæ Numinum dementia, quis non videt? Ego sanè vix definivero, an *Anguem* hunc tortuosum de divinis honoribus impiè usurpatis accusem; utrum verò irrideam, atque explo dam omnem illam turbam DEOrù, quòd, cum ne unus domi medicina peritus foret, à longinqua patria

tria

tria DEum alienum, qui otiantibus in Pantheo domesticis, calamitatibus intercederet, advocare necesse fuerit.

Inauditam Urbi stragem lues intulerat, dum misti promiscuæ plebi Consules, Patres Patriæ, aut communi malo absumpti, aut quæ hora esset ultima, in momenta singula inscii præstolabantur. Quæ DEum immortalem! tunc lamenta, qui audiebantur ploratus? cadebant ex ulnis Matrum exanimes infantes, filius patrem in porticu mortuum lamentabatur; Et, quod ad cumulum malorum accessit, non erat, qui afflictis opem ferret, qui malo faceret medicinam; ipsa siquidem curatio, ægrorumque contactus morbos vulgabat; unde fieri necesse erat, ut aut neglecti, desertique morerentur, aut assidentes, curantésque eadem vi
 mor-

morbi repletos secum traherent. Postremò (ut in talibus fieri amat.)
 mali atrocitate efferaverant. ità animos, ut ne efferrent quidem,
 aut sepelirent mortuos: strata igitur jacebant cum semivivis cada-
 vera in conspectu similem quoque mortem expectantium, mortui
 ægros, ægri validos metu tabe, ac pestilenti corporum odore confi-
 ciebant, sic deserta omnia sine ca-
 pite, sine viribus: vacuæ incolis
 ædes, nulla in foro mercimonia,
 urbs denique tota desolata fune-
 stum quoddam silentium præsefe-
 rebat. Quid hic Jupiter, qui diu
 in Capitolio sedebat, egit ad ca-
 dentium Civium cladem sisten-
 dam? quid cogitabat, dum, qui
 supererant abditi, inclusique mæ-
 rebant, dum templa gemebant, te-
 ctæ urbis lugebant, quid, inquam
 Jupiter opis attulit? Nihil. An
 igi-

igitur tantis populi calamitatibus
 indormire poterat Urbis Stator?
 cur tum, Romani DEum vestrum
 non appellastis? cur voce conci-
 tatiore non inclamastis, ut, si solitis
 occuparetur sceleribus, ad vos
 animum tantisper adverteret, si
 dormiret, excitaretur? sed enim
 incassum ejus opem inclamassetis,
 cui scilicet multa in Europen, Da-
 naën, aliasque supra flagitiosissime
 quondam patrata tempus condi-
 scendæ, ac facultatem medicinæ
 Juveni fortasse ademerunt. Itum
 igitur esset ad aras Apollinis; iste
 divinationis scientiâ satis, super-
 que laboris sibi esse contenderet.
 Orarent Martem: Ego, diceret,
 occidere in campo didici, in lecto
 mederi non didici. Confugerent
 ad Vestam: se Ignis, ac Penatium
 custodem DEam excusaret. Ridi-
 culum esset Cereri supplicare, aut
 Vul-

Vulcano, bifrontem Janum, Neptunum, aut Saturnum obtestari propè insanum videretur; omnibus etenim occupatis aut sementibus, aut armamentis, ac DEORUM clypeis apparandis, non vacabat opitulatum ire corporibus. Satis Jano negotii claves dabant, sique præterita respiceret, provideret futura, ut quidquam ageret, non vacabat. Quid à Neptuno, si naves, equosque gubernaret, quid à Saturno, si auream ætatem (sed quantum aberat!) communi populi concordia conservaret, peti ultra poterat? Præpositi vel unijanus custodes tot extitère Dii, Deæque, qui nihilominus, dum intra adyta malum irreperet DEam *Peslem* dominantem fixam, immitem, & inhumanam, quam prohibere penetralibus non possent, in invidiam adducebant. Quid pro in-

impo-

impotentes Dii facerent? quibus præsto esse non poterant præsidio, authores fiunt consilio, procul ab Epidauris celebre Æsculapii Numen, id est, novum Diabolum accersendi; quasi non satis Tyrannorum intra mænia esset, & extrâ alii quærendi erant. Non Jano, non Saturno, quid de aliis loquar, sinec Jovi fulminanti, tantum virium, has ut levaret calamitates? ô inane DEORUM nomen! sed quid hæc Diis istis impropero, in quibus nihil verecundiæ, nihil est ruboris? non pudore suffunduntur, non sentiunt, qui ærei sunt, & lapidei.

Te verò, Æsculapi, qui adolescentiam tuam medicinæ scientiâ ornâsti, laudo: & Jovi præfero otianti, præ Neptuno, Saturnoque æstimo, nihil tibi repugno, quia vires herbarum ante alios didicisti,

sti, dignus præconiô publicô, quo
 ferebâre mortuos, ad vitam revo-
 care; adversus quem Pluto Rex
 inferorum questus apud Jovem,
 quod Dominatui ipsius injuriosus,
 ne regnum subditis augetur, in-
 tercedas; næ tu multum felix
 Æsculapi, si inferno poteras sub-
 trahere animas! Stultus Jupiter,
 qui hoc doluit! imò ut plures te-
 nebrarum potestatem subirent, fe-
 cit, dum te fulmine exanimavit.
 An Æsculapi, & mors ista, & publi-
 ca prædicatio non satis ad laudem,
 non satis ad nominis tui immorta-
 litatem esse poterat, ut ea conten-
 tus divinitatem non arrogares, tu
 ipse mortalis, & fulmini subditus
 alieno. Ut quid *Anguis* simula-
 crum induisti, illud scilicet, quo
 olim Diabolus orbem terrarum
 prodidit, ac perdidit. Infausta
 vel Diabolis *Anguis* species; alte-
 rum

rum enim Jovis fulmen prostravit,
alterum DEI Filius in carne veni-
ens contrivit, suóque nobis cruo-
re poculum adversus ejus venena
confecit.

Non egebat Orbis Christianus
DEOrum, nescio, quorum ope, &
virtute; potuit uno contentus, in
eo reperire vitam, salutem, præsi-
dium, omnia. Sicilia gravi peste
laborabat, hanc *Rosalia* extinxit
nuper in montibus inventa: neque
tamen illi Sicilia divinos ausa ho-
nores decernere, satis habuit apud
Summum DEUM Patronam vene-
rari Rosaliam. Ex calce integrum
Xaverii corpus à Sinarum littore
Goam vix attigerat, sævissima post
hominum memoriam contagio
adventu sacratissimi pignoris mox
sedata est; neque tamen India *no-
vum* in Xaverio DEUM adoravit
sanitate recuperata; cujus nihil-

ominus potentem prodigiorum
 dextram, ut eximia coleret reli-
 gione, beneficii magnitudo impe-
 ravit. Non misit Epidaurum Eze-
 chias Rex Æsculapio supplicatu-
 rus; neque dein *Solem, Horas, Um-
 bras* inter DEos numeravit; sed
 vitæ, & mortis uni, veróque Do-
 mino sacra fecit. Quot illustres in
 Principum, Regúmque aulis, artis
 medicæ peritos Europa nunc ha-
 bet: cui attamen horum thura de-
 didimus, aras ereximus? laudibus
 offerimus nomen, tacemus nu-
 men. Quantò apud nos gloriosior
 Æsculapio Apostolorum Princi-
 pis vel *Umbra*, quæ nuda, inermis,
 non tamen cassa, cælesti virtute
 sanabat oppressos, excitabat mor-
 tuos? ad multiplicandos attamen
 DEos *Umbra* Roma non adoravit
 Christiana. Quid tibi cum aris,
 quid cum thure Æsculapi? Medi-
 cum

eum honoret mundus, Idolo debitum subjiciat ignem, & tormenta.

Verum an in Æsculapio inter DEos adscripto, & adorato major Romanis spes fuit adipiscendæ sanitatis? id equidem minimè: cum enim subinde Pyrrho Epyrotarum Rege, cladibus Populo Romano illatis gravis domi exorta esset mulierum pestilentia, qua priusquam maturos ederent partus omnia alia opinantes extinctæ sunt: Æsculapi! quid tunc à te opis? quid præsidii Matronæ morientes adeptæ sunt? sepulchra implebantur, tu non succurrebas, sæva morbi vis per nota, ignotæque capita sine discrimine latè vagata: tu ad tantam plagam ne animum advertere videbaris quidem: gemitibus, ejulatibus plateæ, compita, fora publica personabant, tu altum tacui-

sti: ideóne thure honoratus, ideóne in cælo Jovi, Saturno, cætera que DEOrum turbæ annumeratus, compressis, quodajunt, manibus cum iisdem ut sederes, nec tantæ te misereret in populo calamitatis? sed enim credo ego ea te usum excusatione, quòd te *Medicum*, non obstetricem Romanam venisse, profiterere: admittatur, qua honorem, non vires tuebaris, excusatio. Quid? quòd & pecudum genus periclitabatur, ne totum interiret: si pudebat Matronis obstetricem adesse, subvenisses populo Romano Opitulatore, ne jumenta omnia caderent; surda utrumque aure dissimulasti. XL. diebus ex altissimis nivibus Tyberi frigore concreto, consecuta nova pestilentia, cum in annum alterum multò graviùs tenderetur, præsentem Æsculapio aditum est (ut in publi.


blico interitu) ad libros Sybilli-
 nos pro consiliis, at frustra: obscu-
 ra oracula interpretabantur (Cice-
 rone teste) ut volebant, & ne sibi
 cum novo Deo Medico, quem
 manibus receperant, maculam in-
 urerent stultitiæ, insignemque va-
 nitatis notam ut à se amolirentur,
 eam tantæ causam contagionis ef-
 se asserebant, quòd plurimas (ò
 imbecillam sui purgandi ratio-
 nem!) plurimas, inquam, ædes
 divinis dicatas honoribus, multi
 in privatos, eòsque profanos usus
 avertissent: sic interim grandi im-
 peritiæ, vel defidiæ crimine se cum
 Æsculapio absolverunt. At enim
 unde à multis ædes illæ fuerant
 invasæ nemine prohibente, nisi
 quia tanto Numinum gregi diu
 frustra fuerat supplicatum, ædes-
 que, quas diaboli otiosi occupa-
 bant, humanis saltem usibus citra

ullius offensionem, utpote vacuæ vindicarentur.

Ex quibus advertis tandem, opinor, anguis tartaree, dolostuos, vanitatem, imbecillitatem tuam omnibus palàm esse. Repetundarum meritò Romà te postularret; at enim, ut eò citius tua peste, veneno se se liberet, faceffere jubet: abi proinde ocyus, Epidaurum, si lubet, (tartara dicere volui) repete, siquid honoris ibi reliquisti, tene. Habemus nos DEum in Israël, quo minus vel Epidaurus nobis Anguem, aut Accaron *DEum muscarum* opitulatorem submittat. Sufficiat orbem terrarum semel, ac iterum nefariis implicuisse fraudibus, meliore jam sumus instructi lumine, quàm ut iniquissimas machinationes tuas non perspiciamus. Lusisti, & eheu quanto generis humani damno! primam

mam mulierem, cum qua orbem
 universum tum quidem perdidisti;
 verum altera nobis miserente
 DEO data mulier, mulier pulchra
 ut luna, electa ut Sol, illa nempe,
 de qua dudum Divinus Vates
 summo tuo dolore præfagiit: *Ipsa*
conteret caput tuum; mulierem fa-
 tale in scelus induxisti, à mulie-
 re conteri debebas; & verò contri-
 tus etiam es, dum hæc fraudis
 tuæ expers Virgo, & Mater nati-
 vitate Divini partus orbis terra-
 rum Dæmonia ejecit, scelestas
 eorum aras comminuit, nefanda
 Idola evertit, extinxit.





ACTIO XVI.
IN VESTAM.
ARGUMENTUM.

VESTA colebatur ut *Virgo* Penatium custos, ac ignis *Præses*: unde alumnae *Virgines* dictæ *Vestales*, quia (ait *Varro*) sicut ab igne, sic à *Virgine* non oritur fructus. *Idolum Vestæ* præfigebatur etiam foribus; inde domorum *Vestibulum*. *DEA* hac geminò honorata sacrificiò: *Ignem perpetuo*, & *Primitiis terræ*. Utrumque quia vero *DEO* proprium sceleratè à *Vestæ* invasum hæc *ACTIO* demonstrat.

Nescio, quo seu DEI OPT. MAX. despectu, seu infernalium insolentiâ Spirituum factum fuisse dicam, ut Altissimo DEO nihil propemodum per universum, qua latè patet, orbem maneret reliquum, quod à Diabolo, DEI simia impudentissimè non esset in vasum; Enim verò apud Phœnices Saturnus è natis primum petivit; Jupiter fulmen occupavit: Apollo cortinas, & laurum, Neptunus maris vindicavit imperium. Ceres frugibus dominata est. Diana nemoribus jura dedit; Vesta Virgines, ignem, primitias: omnes aram, & thura, immemores scilicet hæc cuncta solius æternæ divinitatis esse, sacrilegè invaserunt: Ut adeò cum Lucifero vox omnium esset: *Similis ero Altissimo.*

Atque dum horum execror arrogantiæ, tuam, VESTA, vel sa-

tuitatem, vel fraudem vehementer admiror: Tu Virgo videri cupis, & à *Vestalibus* adorari Virginitibus, quæ prostituta es cum aureo illo Babylonis poculo, quod gentibus summo cum earum exitio propinas? Tu rotundò templò, tuæ scilicet infelicis æternitatis symbolò coli voluisti? Tu à collegio *Virginum fatuarum* ignem, & thura impetrâsti? sic ergo miseris fallax Dea imposuisti, ut florem pudicitix diabolo consecrarent fluxæ reverentiæ gratiâ? sed nempe salutari Christianis Virginitibus exemplo id egisti, ut Sponso Christo servientes corpore, & spiritu castæ sint, atque inviolatæ. Desino plura objicere in faciem nefandi Idoli Rotundæ basilicæ, in qua jugem à Virginitibus ignem ali voluit, ut scilicet ignes nullo mari extinguendos in Inferno designaret.

ô Ur-

ô Urbem! ô Romulum deceptum!
 ille aras primus, *Vigilémque sacra-*
verat ignem, excubias Divûm æter-
nas. Hæc inquam, tibi VESTA ex-
 probrare desino, id unum quæro:
 unde tu Ignem illum, nisi è San-
 ctuario asservando Sanctissimo
 Christi Corpori parato, alter Pro-
 metheus, sacrilegò furtò sustulisti?
 sed non uno hoc, etsi immani con-
 tenta es scelere, telluris primitias
 invasisti. Horum ego te criminum
 nunc VESTA postulo, geminati
 sacrilegiiream peracturus.

Ignem tibi perpetuum Vesta ar-
 rogas: at quid, quæso, ratione?
 quo jure audes postulare? nonne
 habes jam paratum tibi à præpo-
 tente Numine ignem? non tibi hic
 unus sufficit? ego equidem te ad è
 igne delectari vehementer miror!
 vel tortè (quod reor) delicatæ
 tuæ indoli plus æquò asper isto le-

niendus tibi videtur? verum qui ignem igne mitigabis? Non ego hic tuam arguere ignorantiam, sed sacrilegium insectari constitui. Age igitur, dic nobis, qui ausa sis æternum tibi ignem postulare? illum, qui in ara illa sanctitatis tertiam SS. Trinitatis Personam, Divinissimum Spiritum indicabat, qui sicut semper cum vera, Orthodoxa Christi Ecclesia futurus erat, tanquam fax illuminans, purissimum fidelium lumen, & Veritatis Magister, sic tenebrarum principes luce Divinitatis suæ, quam tartarei hi bubones oculis ferre non possent, in fugam esset conjecturus. Quid tibi, & luci Vesta? busto infernali? Tunc orci titio, corruptela veriluminis, tenebrarum filia, Spiritui veritatis, lumini æterno locum occupare? quod hoc scelus inauditum! sed cætera sacrilegii

gii capita videamus. Jugi Igne
 verus ille *DEUS*, qui est *Charitas*,
 ejusque suprema illa vis significa-
 batur, qua divisa mortalium pecto-
 ra positis odiis uniuntur, mutuam-
 que ad pacem mitigantur. Quid
 tibi & paci *Vesta*, quæ cælum tur-
 bâsti? quid inquam, *Diabolo*, sedi-
 tionum authori, discordiarum pa-
 renti cum dulci illo animorum ne-
 xu, peculiari Filiorum *DEI* nota?
 Hæc furoris, & amentiaë fuisse di-
 camus, qua abreptus Spiritus ad-
 huc vel similis esse Altissimo, vel,
 quod ejus erat, per summam impi-
 etatem eripere nitebaris: at illud
 fatere, an poteras non exhorre-
 scere vel ad memoriam veri illius,
 quem ignis hic referebat, *DEI*, qui,
 sicui hostis est, terribilis est. formi-
 dolosus est. Vos vos *Diaboli* istud
 exitiô vestrô didicistis, iræ, & ful-
 minis illius vim experti: si contra
 ami-

amicus: eximiis ornat beneficiis omnes, qui lucem æternam diligunt, sectantur. Vos terrore agitis, ut Tyranni, non beneficentiâ, ut Patres, qui pro pane lapidem, pro ovo datis minantem in cauda scorpionem. Vos dracones ignem vomitis, cælum, terram, sacra omnia halitu inficientem, & peste. Quid plura? Jugis denique ille altaris ignis manantem notabat ab ignis virtute, secundum naturæ ejus vim, lucem, & calorem: sive generatum à Patre Filium, & Spiritum Sanctum ab utroque productum, sempérque procedentem splendidiore, quàm dici ut queat lucis claritate; unâque indicabat filiis lucis, quales sunt omnes, qui Christi legem, ac disciplinam professi sincera unum verum in Trinitate DEUM adoratione prosequuntur, nunquam esse noctem: ut qui in
lumi-

lumine semper vident *lumen*, nimirum in Patre Filium, in utroque Spiritum Sanctum piorum cordibus resplendentem. Nihil tibi commune cum luce hac tenebrarum principi, nocturæ tartaræ, ignis æterni pabulo, nunquam visuro beatum illud, quo infelix Diabolus excæcatus es, divinæ pulchritudinis lumen, qui æterna exclusus felicitate sempiternis inferorum incendiis es addictus. Et huic vos Dæmonio Vestales Virgines serviatis? huic vigiliis vitam consecretis? quin agite ocyus lucernas confringite, aram DEO cedite, pudeat tantum diabolo obsequii impendisse, vestræ florem Virginitatis Virginum authori, Supremo Numini date, consecrate. Primum sacrilegii caput audistis, ad alterum veniamus.

VESTA, quid tibi cum terra, cu-
 jus domina non es? Rotundô de-
 lubrô Imperium terræ arrogâsti, in
 qua, cum condebatur, num partem
 aliquam honoris, num aliquam la-
 boris Societatem habuisti? si non:
 quam audaciâ sacrilegâ *Jura*
Primitiarum ex agris, hortis, vi-
 netis occupâsti? Sed, inquis, me-
 rentur Virgines Vestales à te Re-
 gina, cujus ignem fovent, cui fa-
 mulantur, ut tuam in illas volun-
 tatem, & benevolentiam probes,
 alimentaque à populo Romano ti-
 bi consecrata, illarû usibus cedant.
 Id quidem, si jure fiat, libens con-
 cedo; At enim quoniam jura deci-
 marum, ac frugum primitiæ omni-
 um unius illius, qui creavit omnia,
 DEI altissimi sunt, sacrilegè facere
 Romanum populum ea DEO alieno
 consecrare, à téque pari sacrilegiô
 aut acceptari, aut imperari, quod
 tu-

tuum non est, quis non videt? Regi-
 na es: ubi Regnum? ubi Imperium?
 Romæ, inquis, ubi me Romulus in-
 stituit cum ara, thure, Virginibus.
 Infelix Romule! qui dum pius
 haberi voluisti, sacrilegus fuisti, qui
 diabolum Virginum collegio præ-
 fecisti. O præclaram custodem
 ovium Vestam! ô lupam singula-
 rem! Vos metu, minis, maleficiis,
 artibus iniquissimis à perturbatis
 civibus, ne clades, ne pestem, ne
 grandinem adferretis, divinos ho-
 nores, aras, thura, primitias extor-
 sistis, ausi nempe paria sentire cum
 Altissimo, cujus Catenis subdita
 mancipia omnibus gratiæ donis
 nudati sic estis, ut sola in tot ruinis
 superbia non tam vos consolatura,
 quàm punitura remaneret. Et, si
 te, VESTA, sempiterni fumus in-
 cendiis excæcavit, ut temerita-
 tem sacrilegam non videas: age,
 audi:

audi: cujus est terra? cujus Sol, &
 radii? cujus imperio mare, venti,
 imbres, pluvia, grando subsunt?
 quis facit oriri solem? quis concipi,
 vivere, herbescere segetem?
 Idem videlicet, qui de paucis granis
 segetem creat, educat, albescere
 facit ad messem, terræ conditor,
 & hominum altor DEUS. Annon
 proinde jure optimo exigere à populo
 primitiarum libamina potuit,
 tanquam sua, qui potuit totum auferre.
 Ille Sacerdotibus altaris sui ministerio
 consecratis in alimentum ita sua divisit
 sacrificia, ut & tenerè eos haberet,
 juberètque ab omni alia cura eos vacuos
 esse, quorum ipse esset hæreditas opulenta;
 quibus ipse esset ager, & fructus simul;
 ipse vinetum, oliveta, segetes, uvæ,
 olivæ, qui absque omni vomere, & aratro,
 absque fossione, & repastinatione, absque

que labore, & cura sua suis redderet Ministris, quæ pinguissima gleba, vitis fertilissima, olea fructuosissima ingenti labore, & cultura proferre possit. Quid ad ista amabo tu unquam contulisti, ut vinea flores, ac fruges funderet? ut novas quot annis baccas palma indueret, ut suam mala granata purpuram explicarent? Fors alio id aliquo excellenti tuò meritò es adepta? sed quo illo? an quod Romam ab incendiis defendisti? Qua ardente nisi Metellus Pontifex Palladium Troja quondam advectum, sacræque tua salvâisset, aræ, simulacra omnia te dormiente in cinerem abiissent. Hem egregiam ignis custodem!

Ignem, & prima frugum libamina, quia non tua, jam, opinor, cedis VESTA, ne tamen Regina ignis sine lumine maneat, accendamus tibi

tibi fumum picis, ac sulphuris sem-
 piterni incendii, toto Tyberi, ac
 Oceano non extinguendi. Tem-
 plum quoque Rotundum te DE-
 am cum jugi lampade, non quod
 olim Romæ, verum aliud in tor-
 mentis expectat, recolet immor-
 talis ille conscientiaë vermis, re-
 colet, inquam, tibi sæpe *Primitias*
 gratiaë, sempiternæque felicitatis
 justo DEI judicio à te amissas.
 Aderunt, & quæ Dominæ, quæ
 Reginaë assistant, VESTALES, seu
 præmium pro vigiliis, virginitate
 à te recepturæ, sive uberio-
 rem tibi operam præstituræ. En quàm
 tu VESTA felix! quàm nos in te
 profusi, quæ breve ad tempus,
 ignem, famulas in terris arro-
 gabas, ut etiam vota superaremus
 tua, iis te pro æternitate ornamus,
 cumulamus.

ACTIO

ACTIO XVII.

IN IDOLUM:

Quorum DEUS VENTER est.

ARGUMENTUM.

DEUM VENTREM omni-
 bus Numinibus nobilio-
 rem, cultus, quem non una
 Urbs, non una Regio, sed Orbis
 ei universus detulit, satis pro-
 bat. Cujus Idolum instrumenta,
 vestes, membra Spiritibus simil-
 lima habere credendum; quod
 in medio hominum cœtu fre-
 quentissimum, singularibus cul-
 tum obsequiis, visum tamen
 adhuc fuerit nunquam. Ortum
 illud

illud in Paradiso habuit, in exilio progressum, Regnum in Palatio, aram in Gynaeceo, tumultum quia nondum reperit, quò liberius, eò damnosius, hodieque etiam in fideles dominatur, qua tyrannide DEUM VENTREM omnibus Diabolis crudeliorem ACTIO praesens deicere intendit.

CRederem ego AA. fore, ut non facile die hodierno fidem apud vos impetrem, quòd in orbe terrarum possit usquam inveniri, nedum pro DEO coli, passimque jam Civitate donari, dominarique Monstrum, quod barbari perhorrescant, & caeli obstupescant; nisi Doctoris gentium autoritate munirer, à quo in lucem produci-
tur domesticum multis, ac familia-
re

re simulacrum : *Quorum DEUS*
VENTER est. Næ ego, & quî non
 istis sapientiores judicavi, qui
Ignoto DEO aram posuerunt ; at-
 que utinam & ille apud Paulum
 DEUS mansisset *Ignoratus!* sed enim
 eruerunt illum non Scythæ, apud
 quos non panis, non uvæ, non cy-
 tharæ sonus, & deliciae audiebantur ;
 in sua illi terra nato sacra fa-
 ciebant Herculi, capri cruorem
 immolantes : isti, nescio, qui, *Quo-
 rum DEUS VENTER est,* farris
 medullam, grani purpuram, vitium
 gemmas, animalium pinguiora, &
 quicquid pretiosius vel natura de-
 dit, vel ars invenit, victimam li-
 bant. Ubi DEO illi templum, nisi
 triclinium? ara, culina, fumantes
 camini, turres Ecclesiæ; Princeps
 flaminum coquus, lixarum catervæ
 sacrificuli, focus lampas basilicæ,
 suppellectilia argentea, onychina,
 E por-

porcellana vasa, pateræ aureæ, coronati calices, scyphi, lances, cultri, tridentes fuscinulæ, cochlearia, mappæ, salina, candelabra, hæc, & sexcenta alia sunt, quæ omnia DEO VENTRI, debiti scilicet honoris instrumenta, grati posterii consecrârunt: ac ne DEO has inter voluptates pulvinaria desiderentur, mollissimos discumbentium hospitum thoros in coronam dispositos videbis inter epularum, symphoniæ, Creticorum calicum sonos: quid de cætero mensarum apparatu dicam, quo DEUS hic egregiè honoratur? Certè haud rarò evenit, ut non ad epulas, sed spectacula magis conveniatur: quoties enim ad numerum, nec sine palæstra, & tanquam in triumpho fercula deferuntur; dapes in mensam, velut in Orchestram prædeunt, abeuntque, ut venerant, posteaquam

quam oculis diu serviêrunt? quæ
 mihi epulæ, & quàm frequentes
 tamen, in quibus comedunt oculi,
 ora intuentur? quoties genus su-
 um mentiti natant tanquam in sac-
 chareo oceano pisces, procum-
 bunt tanquam inter saccharea pa-
 scua, & nemora sacchareæ feræ, mi-
 nantur volatum sacchareæ aves?
 quid quod castra, & propugnacula
 solido fabricata saccharo inferan-
 tur mensis cum propugnantium,
 oppugnantiumque manu? utrin-
 que sacchareæ minæ, milites sac-
 charei, tormenta saccharum vo-
 mentia; non hic ferum, sanguis,
 custode VENTRE DEO, nullus:
 illud mirum: tot inter sacrificia
 Numini adedò dilecto statuum non
 è marmore, ut olim, sed saccharo
 quòd non posuerit orbis. Neque
 nares (membrum VENTRI DEO
 delicatum) suis carent voluptati-
 bus:

bus: perflantur odoribus mensæ ex
 ultima Arabia deportatis, floribus
 sparguntur, sic nempe non plenam
 ad insaniam Idolo huic servitur, ni-
 si hortorum, camporum, nemo-
 rum, & gentium Dii, Deæque ei-
 dem famulentur. Cæteris utut
 Diis cælestibus annua sumptu pu-
 blico sacra, ac ludos decerni satis
 fuit; Iste nõ tantùm pretiosissimos,
 sed etiam quotidianos expetit
 splendores, in quos ab aurora vix
 ortæ voces, consilia, imperia, la-
 bor, vigiliæ conferuntur, & tanta
 magnificentia res conquiruntur,
 emuntur sumptu tanto, ad euntur
 terræ, maria; peregrinæ deliciae
 accersuntur ab Urbibus, ab hortis,
 capræ à montibus, ex sylvis feræ,
 ab Asiaphasides, ab armentis vitu-
 li impensis tantis, ut omnium DE-
 orum collata in unum sacra exæ-
 quet unius diei VENTRI DEO
 consecrandus apparatus. Ha-

Habetis jam compendiò per-
 strictas nefarias Idoli hujus turpi-
 tudines, semper à nobis damnatas,
 sed semper tamen retinendas;
 quanta infelicitate nostra, cogno-
 scemus, ubi, quæ ab eo in Rempub.
 profanam primùm; dein sacram
 mala redundant, Actio paucis
 demonstrabit.

Etsi non jure fortè omnes, qui-
 bus conflictatur orbis calamitates
 in unum hoc conjiceret Numen;
 iniquus tamen profectò foret, si
 non plurimarum author illud scri-
 beretur. Quis enim Tygris, quis
 Euphrates, quod mare refusum, ac
 littoribus exundans tot detrimen-
 ta intulit Provinciis, quot invexit
 in animos, in urbes, in Rempubli-
 cam VENTER rationis limitibus,
 divinarumque legum frænis semel
 solutus, ac liber? ubi dives ager,
 census uber, patrimonia opulenta,
 E 3 pecca-

pecuniæ quotidianæ, vectigalia,
 opes, fortunæ liberales, animos
 spontè comparatos invitabant ad
 deliciarum amplexum; compell-
 lebant, inquam, ad splendidas
 quotidie epulas, & luxum, & (quod
 non solùm factu, sed vel cogitatu
 impium) non alio ferè argumen-
 to validiore, quàm desperatione
 vitæ æternæ; ut, qui sempiternæ
 beatitudinis futuri cõpotes non
 erant, sineque istis terrenis bonis
 ac deliciis fruerentur, utrumque
 amitterent, & hic miseri, & ibi in-
 felices. Atque utinam Veterum
 duntaxat hæc fuisset infelicitas,
 & non ad filios quoque eadem
 pertineret! utinam famâ hæc pro-
 digia, & à longè animò solùm pro-
 spiceremus! Illud dolori est, quòd
 sæpiùs in oculis hæc portenta ver-
 sentur. Eò enim calamitatum de-
 ventum, ut malum hoc apud eas
 etiam

etiam gentes, quas natura ipsa ad
 severiora formavit, domicilium
 fixerit. Quæ namque amabo
 gens, quæ natio, quod regnum,
 quæ Provincia, quæ urbs, domus,
 ubi pestis hæc non plebis modò,
 sed potentissimorum quorumque
 patrociniò non nitatur? quæ res-
 publica, ubi incendium hoc in
 humiles æquè casus, ac palatia non
 grassetur? Repetamus, si dolor si-
 nit, animò aurea illa Majorum no-
 strorum tempora, quibus severa
 temperantia insanæ ingluviei le-
 gem posuit: quàm tunc, DEUM
 immortalem! regna felicia! tur-
 gebant æraria publica, procul
 omni tyrannide plebs regebatur,
 familiæ ære, honore crescebant,
 tanta rerum omnium erat felicitas,
 ut, qui egeret, vix reperiretur; po-
 steaquam verò infelici fato Idolum
 hoc adorari cæpit, continuo cru-

delis provinciarum vexatio, labes,
& pernicies hæreditatis, vorago
bonorum, calamitas denique
omnis successit.

Ubi nunc A.A. plurimæ, clarissi-
mæque tam domi, quàm belli fa-
miliæ? ubi opes? ubi hæreditates
nobilissimæ, has abligurivit, illas
aut extinxit, aut ad manticam pro-
pemodum redegit VENTER. Hæc,
hæc tyrannis est, gula est, Venter
est, qui nos æquè Majoribus ingra-
tos, ac posteris injurios reddit:
arcas nos exhaurimus, aurum
omne in auram mutamus, nomina
contrahimus, in amænum (quis
ulla in Scythia Tyrannus plus pos-
set, quàm dum lugenda ageret ma-
ximè, gaudii insignia præferret?)
in amænum, inquam; ipsi tantisper
solvimur risum, ut longum luge-
ant posteris, affluimus deliciis pa-
tres pessimi, ut liberi egeant, men-
sas

fas magnis splendoribus adorna-
 mus, ut cum ultimis sordibus ne-
 potes conficiantur. O amentiam!
 ô crudelitatem singularem! aliter
 AA. Majores nostri nobiscum egê-
 re, alia de nobis consilia suscepê-
 re, qui si hodie suis è tumulis re-
 surgerent, qua putatis amabo ora-
 tione ad hos patrimoniorum hel-
 luones, VENtris mancipia uteren-
 tur? nonne sic agerent, sic loque-
 rentur: quæ isthæc, DEum bonum!
 rerum mutatio? Vosne, quos ge-
 nuimus, Nepotes? Sic? quæ nos
 sudore, periculis gravissimis, san-
 guine, morte ipsa peperimus, vos
 parta servare non vultis? ideône
 vos fortunis, honoribus cumula-
 vimus, ut ad brutorum abiretis
 conditionem? Nos fame, & siti
 spartanis epulas aromatis quoties
 condivimus, vos necessitatem
 voluptate metimini? Vah præpo-

steram Nepotum in Majores ob-
 servantiam ! Hæc equidem, & mul-
 tò etiam graviora jure quàm opti-
 mo illi ætati nostræ exprobrarent ;
 tanta enim non solùm familiarum
 honori, Urbium stabilitati ; sed to-
 tius Reipubl. Patriæ incredibili
 bono servitura *Venter* consumpsit ;
 ut deliciarum intemperantia non
 tantùm à privata familiarum cala-
 mitate, quam invexit, verùm,
 quod plus, ex Reipub. detrimen-
 tis sit æstimanda. Quid ego hic de
 crudelitate, atque injuriis in sub-
 ditos dicam, quorum læchrymas
 tot convivìa splendida ebibunt ;
 quid enim est splendida in singu-
 los dies cæna, nisi sanguis paupe-
 rum ? Nam, quia deliciæ alendæ
 sunt sumptibus innumeris, dum
 hi non suppetunt, vertimur ad
 quærendas pecunias, instigante
 hoc idolo, mediis, quoties contra
 divi-

divinas, humanâsque leges impi-
 issimis, avaritiâ, & crudelitate in-
 audita? Hæc nempe erant, quæ
 jam olim gentes barbaras in arma
 contra Romanos exciverunt, ut
 à Dalmatia, cujus Battus Regulus
 cum è vinculis pro se responde-
 ret, causam belli illam protulit:
Quia mittitis, (inquit) nobis, non
cunes pro custodibus, sed Lupos:
 Quos hic luporum nomine Regu-
 lus voluit intelligendos? illos
 illos videlicet Præfectos, ac Præ-
 fides, qui avaritiâ, & crudelitate
 infames, quibus nihil sufficit, nisi
 auro Provincias expolient, præ-
 tiosa quæque rapiant, prædentur,
 furentur. Atque utinam paucas
 ejusmodi harpyas, paucos id ge-
 nus tyrannos, & authoratos præ-
 dones orbis haberet, qui non nisi
 egenorum calamitate, sanguine
 miserorum mitigantur, saturantur.

Hæc sanè tanta, tamque enor-
 mia sunt scelera, ut nemini non
 sufficere deberent ad proteren-
 dum, aut ad ignotas terras able-
 gandum nefarium hoc Ventris
 Idolum; ego tamen, mitiùs for-
 tasse de eo statuendum censerem,
 tacerem extinctas familias, impi-
 am in subditos silerem crudelita-
 tem, summa Reipublicæ detrimen-
 ta non commemorarem; nisi in
 sacra quoque, ac divina nefariò
 sacrilegiò grassaretur: at enim
 istud quis ferat? sine lachrymis,
 quis recordetur? Quanta DEum
 immortalem! ruinarum Ecclesiæ
 pars VENTRI, ac deliciis adseri-
 benda jure venit! Enim verò im-
 moderatæ ebrietates, lautæ in di-
 es epulæ, ac oblectamenta eò de-
 licatos redegère animos, ut Ec-
 clesiæ Jejunia intolerabilia illis
 evaserint; fuit namque una refe-
 ctio

Etio Idolo huic tormentum Pha-
 laridis, & equuleus non ferendus,
 posteaquam natura deliciis tam
 multiplicibus asvesacta, stomacho
 nauseante removit edulia sobria,
 hostiúmque instar abhorruit, qui-
 buscunque per sacram antiquissi-
 mæ Christi Reipublicæ legem ve-
 sci licebat: hinc jejunia passim
 violabantur, sponte susceptæ cor-
 poris vexationes rejectæ, quibus
 pænitiæ propugnaculis (quod
 diabolo in votis erat) semel diffi-
 patis, atque solo æquatis, nihil
 deerat, nisi aliquis, qui vexilla ad-
 versus Ecclesiam levet sacrilegus
 Orator, dicam, an Vorator, & jam
 non homines, sed exercitus ha-
 beret sequaces impiorum dogma-
 tum: Id quod domesticò, si do-
 lor finit; ne, quæ longè sunt, re-
 quiramus, documentò nimis quàm
 verum asseret, quisquis florentissi-

mas Regni Hungarici, & Transylvaniæ regiones circumspexerit; an non enim, ubicunque ditior ager, candidior panis, granum nobilius, aurum abundantius, sylva feracior, armenta pinguiora, usuique vitæ humanæ majores delicias tellus, ac flumina proferunt, an non, inquam, in eis regionibus (quod sine lachrymis dici non potest) in flore, ac dominatu Hæreses etiamnum vigere, scelera dominari, excussis sanctissimorum morum legibus sine fræno, sine verecundia ad omnem ventris ingluviem, omnem libidinem, provocante ad hæc ipsa soli felicitate, grassari videmus: contra quis nescit ad alpes ferè, & angulos terrarum sese retraxisse Jejunia, Leges, Fidem, disciplinam, sanctiones christianas, ac velut asyllum reperisse apud eos populos, quibus

bus ignotæ fuère deliciae, quibus
 abſtinentia pro fortiffimo munimi-
 ne, ac propugnaculo ſemper fuit,
 ne labes illa, ac pernicies virtu-
 tum, contemptrix divinarum le-
 gum Hæreſis, & cum ea atrociffi-
 ma velut peſte morum Chriſtiano-
 rum corruptelæ penetrare aut au-
 derent, aut poſſent. Et nunc
 quid in uberrimis regionibus con-
 jurationem peſtilentium hæreſum
 detinet, quàm *Idolum, quorum*
DEUS VENTER eſt? quid ſan-
 ctiſſimam Chriſti, & Apoſtolorum
 doctrinam ſenſui inimicam, carni
 omnino contrariam, non ſeren-
 dam, ſed rejiciendam penitus per-
 ſuadet? quid bonorum operum
 ſtudium velut inutile quàm ſcele-
 ratè tam temerè explodit? quid
 debitam, inviolatòque inde à na-
 ſcente Eccleſia fidelium omnium
 uſu probatam in Summum Chriſti
 Vica-

Vicarium reverentiam seposuit, irrisit, nisi nefandum illud *Idolum*, quorum *DEUS VENTER* est? Iste princeps *Coquorum* incendit augustale Numinis Templum, iste muros dissipavit, iste columnas in Babylonem transtulit, iste primus in eo thus diabolo adolevit, iste aras, simulacra Deorum crexit, iste denique illud in teterrimam sordium, ac voluptatum culinam commutavit. Hæc impia, ac sacrilega, istud non minus sceleratum.

Sunt, sunt non pauci Nobilium, qui canes suos philosophari, ac jejunare docuerunt, & animum suum ad temperantiæ disciplinam non serudiêrunt. Ex illorum institutione canis tantum sibi non sumit, ut feram captam attingat, & comedat, quantumvis fame exagitatus vehemente, sed illam Do-
mini

mini sui epulis reservat, & custo-
 dit; quin multos videre est, qui
 eam mordicus arreptam, ac defen-
 sam ante Domini sui vestigia pro-
 sternunt, quia nempe sic docti
 sunt: quando ipsi heri ex illis sunt,
quorum DEUS VENTER est, qui
 non rationi, non DEO, non Eccle-
 siae legibus obsequuntur, sed cupi-
 ditati, sed palato, & Ventri servi-
 unt. Hic hic enim verò pudeat
 Dominos non à servis, subditis,
 sed canibus superari! Sed quid?
 similitudinem à canibus sum mu-
 tuatus? debueram à caelestibus su-
 mere argumentum: ab Angelis?
 at diceretis mihi: Angelus est,
 cibo non eget. A Christo? re-
 sponderetis: DEUS est. Ab Apo-
 stolis, & solitudinum cultoribus?
 vestrae instituta vitae aliena sunt,
 reponeretis. Quibus igitur à Chri-
 stiana vivendi norma suadere ne-
 queo


queo temperantiam, ad vestros
 canes confugio, qui vestra institu-
 tione dant exemplum, ut saltem
 faciatis, quod illi, qui recufatis imi-
 tari, quod est Christi. Pudet me
 cum turpissimo hoc Idolo congre-
 di, & ultra luctari: reticebo igitur
 plurimas ejus fæditates, lateant
 crimina, atque utinam ità latuif-
 sent, ut ne fando quidem ea acce-
 piffemus! Nisi tamen me verecun-
 dia revocaret (quanquam & obor-
 tis lachrymis vocem pene inter-
 ciudi video, ne dicam, quod sen-
 tio) impii ego hic Mahometis af-
 seclas cum iis, qui Christi sectato-
 res dici volunt, conferrem, seve-
 ram eorum abstinentiam cum ir-
 sanis istorum deliciis compara-
 rem: Illis vinô lege interdictô so-
 brietatem parsimonia imperavit;
 his, qui Christiana profitentur sa-
 cra, satis non est vinum bibere, nisi
 alla-

allatis grandi sumptu ab omni Europa vinis conviviorum magnificentiam, & splendorem augeant, indèquè velut è Cannensi prælio mortui alienis sæpè manibus auferantur. Illis barbaris amara illa potio, seminibus domi lux natis, valetudinem recreat; & hanc Christianis instituti legibus (nequid nobis ad delicias desideretur) accersivimus ab oriente, nec illud amarum, sed conditum saccharò ab India, inde à Canariis Insulis edvectò poculum bibimus peregrinarum deliciarum, & jam domesticum propemodum fecimus, quod profert Asia, quod educavit America, ad guttur, & Ventrem consolandum, quod Africanaterra laudavit. Sic eorum, qui Christum ore quidem profitentur, VENTRI unus non sufficit orbis terrarum.

Verùm

Verùm miserum me ! qui elo-
 quentiæ repagulis sistere tentem,
 & violentissimo huic obviam ire
 torrenti coner, qui auctoritatem
 divinarum, humanarumque legum
 dudum prætervectus Idolo urgen-
 te non desinet furere, bacchari,
 insanire, usque dum contrario tor-
 rente divino numine (quod me-
 tuo !) morborum, mortium, cæ-
 dium cæterarumque calamitatum
 immisso Epicurei isti doceantur
 sapere verberibus, & flagellis, qui
 verbis, & monitis non didicerunt.
 Gentibus, quæ Ventri serviunt,
 sanè puduisset quondam *Æscula-
 pium* ab Epidauro advenire DEum
 Medicum, fugisset ab earum socie-
 tate *Minerva*, & *Apollo*, quòd
 apud eas liberales horum merces
 nec pretium inventuræ essent, nec
 honorem; Bacchus apud illas, *Ce-
 res*, *Venus*, aliique id genus Dii
fædis-

fædissimi, quibus summa cum DEO
 VENTRE conjunctio, aras occu-
 pâssent, thura obtinuissent. Sed
 ut finem imponamus, quid ad mol-
 les istos Christi (pudet dicere !)
 Sectatores, quid, inquam, dicturum
 putamus in ultimo illo die Chri-
 stum Judicem, qui barbaris jeju-
 nantibus, deliciarum Idolum domi
 suæ adorârunt? quid tunc delicata
 hæc Ventris mancipia responde-
 bunt? quo tum animo, quâ con-
 stantiâ subsistent, cum videbunt,
 venientes ab oriente, & occiden-
 te, cum illos, qui esuriêrunt, & siti-
 verunt in sinu Abraham cum La-
 zaro recumbentes intuebuntur?
 maximo scilicet rubore suffunden-
 tur, dùmque dignam obsequiis
 mercedem à DEO Ventre cum
 Epulone recipere jubebuntur, rin-
 gentur, frendebunt, insaniam suam
 detestabuntur, diris omnibus, sed
 frustra, devovebunt. **ACTIO**



A C T I O X V I I I .
 I N I D O L U M G L O R I Æ .
 A R G U M E N T U M .

Poste aquam illustratus Evan-
 gelii lumine Orbis impias
 antiquæ superstitionis statuas
 evertisset, mirum Diabolus ar-
 tificium reperit, quo mortale ge-
 nus in perniciem vocaret: No-
 vo DEO GLORIÆ aram po-
 suit successu adeò optato, ut non
 ætas, non sexus, non genus inve-
 niretur, à quo non thure modò,
 sed & sudore, & sanguine non
 coleretur. Idolum hoc Orbi
 Christiano nimis quàm exitiale
 ACTIO hæc præcipitare cona-
 tur.

Quis

Quis unquam eventurum
 credidisset ut exactis Chri-
 sti virtute ligneis, ac lapideis Nu-
 minibus, novus, nescio, quis dia-
 bolus Idolum erigat, templa con-
 stituat, Flamines jubeat, populum
 nobilitate illustrem, multitudine
 pene innumerabilem sibi adjun-
 gat; nisi id dudum jam factum eò
 indignaremur magis, quò miser hic
GLORIÆ Diabolus minus, vel
 cum inanibus Ethnicorum trun-
 cis, ac stipitibus in contentionem
 adduci potest. Ab aliis quippe
 Idolis utut nemo petebat *Vitam*
æternam aliquid tamen præsentis
 vitæ utile petebatur: à Minerva
 ingeniorum cultura, labor bellicus
 à Marte, & Victoria, à Venere pro-
 les, panis à Cerere, à vulcano ar-
 ma, ab Æsculapio, ne singulos re-
 censeam, vitæ aut conservandæ,
 aut reparandæ medicamenta: Ido-
 lo

Io GLORIÆ supplicatur pro fumo
 popularis auræ, re scilicet omnium
 vanissima, animisque liberalibus
 indigna, quæ dominetur, & quod
 gravius, ita dominetur, ut illam
 non moderatio regat, non ratio
 flectat, non rectè factorum consci-
 entia fulciat, sustentet; Verùm in-
 anis auræ flabellò incitata sese mi-
 retur, efferat, triumphet, suâque ut
 orbis gesta, vigilias, vitam, ut Nu-
 mini domestico, consecret, expo-
 scat. Parum est, quod cæteris Ido-
 lis dedicabatur; Diis dabatur Pe-
 natibus far, Soli currus, Vestæ re-
 rum primitiæ, Latonæ bos fæmina,
 Caper cornibus auratis Marti sa-
 cer erat, Quercu Jupiter, Apollo
 laurò, uvis Bacchus, Ceres placen-
 tâ honorati: Idolo GLORIÆ nihil
 satis est, nisi sudor, sanguis, vita
 omnis consecretur; quæ tanta uti-
 que esse quis non videt, ut si eo-
rum

rum dimidium aquirendæ immortalis coronæ impenderetur, ex Veri DEI manibus GLORIAM nullo fine terminandam, sempiternosque consequerentur honores. Sed (quod feliciter vertat!) reliqua quoniam Idola Christus contrivit: ad excindendam, eradicandam GLORIÆ vanitatem vires, arma nostra convertamus.

Postquam Potentiæ Altissimi cæterorum Idola Numinum, strage diabolis æternum dolenda, delivisset, templa evertisset, aras comminisset; poterat sinceros in plausus abire orbis terrarum, nisi sponte sua infelix esse maluisset: at enim suâ elatus fortunâ cæcutivit, dum *Idolum humanæ Gloriæ* aut erexit, aut, ut illud unum ex omnibus superaret, & quanto altiore in dies radice, tanto periculosiore subnixum firmitate consisteret,

steret, admisit. Pudet dicere æter-
 nò DEI Filiò angusto in præsepì
 collocatò, panniculis involutò,
 præ frigore vagiente cantum vi-
 cino in aère auditum esse, quo ab
 Angelis dabatur *GLORIA in al-
 tissimis DEO, & in terra PAX ho-
 minibus*, quibus nascebatur *Prin-
 ceptus Pacis*, assertor libertatis: sed
 divisio Angelica non placuit;
 mortales remisimus DEO Pacem,
Gloriam nobis reservavimus: Idol-
 lum ei erexit pulchritudo mulie-
 bris, thus incendit Idolo scientia-
 rum notitia, genua curvavit ja-
 ctantia militaris. Satis erat, ma-
 gnique instar doni *Pax* è cælo al-
 lata hominibus, illâ quid utilius?
 nisi tam dementes essemus, ut ali-
 ena diripere, quàm nostram et ve-
 ram bonam retinere malleamus; *GLO-
 ria* altissimo DEO debebatur, &
 nos puduit vivere, nisi undique
 glo-

gloriâ circumfulgentes minori-
 bus eminere majore nostra vanita-
 te, quàm utilitate niteremur. Ri-
 simus Idolum : *Quid dicent homi-
 nes?* meticulosum illum, ac igna-
 vum diabolum à suscipiendo bono
 loquacitatis humanæ metu retra-
 hentem: concinnioerem operum
 nostrorum belluonem, generosio-
 rem diabolum ut haberemus, Ido-
 lum GLORIÆ ereximus; verum
 istud quantò ostentatione audaci-
 us, opinione popularis auræ infla-
 tius, tantò sævientioerem in illo
 pestem quis non perhorrescat?
 quæ tamen ætas, quis sexus, quæ
 conditio, quæ illi ad insaniam us-
 que non litaret? quantos, DEUM
 immortalem! sumptus vel sola
 muliebris pulchritudinis cultura,
 quantas curas requirit? quo enim
 non studio, quibus artificiis forma
 non colitur? vultus depingitur ad

voluptates, calamistris comæ inu-
 runtur, mundus paratur? quantus
 fervorum, ancillarumque grex vel
 ad unius heræ ornatum accurrit;
 hic crines in cincinnos agit, ille
 purpurissô, alius cerussâ illinit,
 singuli non nisi ex speculi consilio
 operam adhibent Dominæ; &
 quibus Virorum curis, quibus sudoribus hæc muliebris infania
 comparatur? qua difficultate au-
 rum, gemmæ, peregrina ornamen-
 ta ad unius fatuæ cultum statuæ
 conquiruntur? quot hodie illa
 Heliogabali amentia, qua mulie-
 rum coëgit senatum, quæ de cultu
 fæminarum decernerent, quot,
 inquam, amentia hæc habet secta-
 tores? quæ enim non suscipiun-
 tur consilia, quæ industriæ, dum
 de pulchritudinis *Gloria* æmula-
 tiones exurgunt? Quæ amabo tan-
 tum curæ, tantum sollicitudinis,

ac industriæ DEO, animæ impen-
 dit? detestanda hæc in mulieri-
 bus: quid de viris scientiâ inflatis,
 quâ evadere nituntur, dicam?
 quantum sudoris, tædii? quot no-
 ctes exhauriunt, ut emergant?
 quot adorationes faciunt potenti-
 bus, in quibus spem collocant su-
 am, qui DEO dant nihil, toti car-
 neo brachio innixi? quanto cona-
 tu hi *Gloriæ* stulti aliorum de se,
 suisque judicia aucupantur? qui-
 bus artibus, ut, quæ agunt, pro-
 bentur aliis, connituntur? hi sa-
 nè omnia circumspectant, nihil
 istis tutum satis apparet: quidquid
 ambiguum, pertimescunt, omni-
 bus diffidunt. At enim si calcu-
 lum, quem unicè quærunt, tan-
 dem emereantur, quibus non DE-
 um bonum! turgent animis, quo
 euncta fastu non despiciunt, se,
 suâque ad tinnitum aurium quibus

non modis crepant insani thra-
 nes. Sed ne in re ut perniciosis-
 sima, ità orbi notissima longior-
 sim, Idolum, quod militia *Gloriæ*
 erexit contemplemur: Istud pro-
 fectò est, quod non privatos ali-
 quos, non abjectioris animi natio-
 nes, & gentes, sed nobilissimos
 quosque animos in sui attraxit
 adorationem: Quid enim? fingite
 vobis Regem unum aliquem, suos
 ad bellum, quâ verbis, qua promif-
 sis invitantem; quanti, DEum im-
 mortalem! continuò fiunt motus?
 deseruntur Parentes, patriâ exce-
 ditur, cognati, nunquam fortè vi-
 dendi, qua alacritate valere ju-
 bentur? non illos favorum, acqui-
 rendarum dignitatum, & hono-
 rum spebus absorptos, non, in-
 quam, labor, non pericula, non
 inedia, non æstus, non frigus, non
 vigiliæ, non consilia, non denique
 ratio

ratio retardant; si armis fulgeant, si ordines ducant, si Rege vidente pugnent, ac etiam moriantur. Quàm pretiosæ res Idolo vanissimo consecrantur! quarum dimidiò cælum poterat obtineri.

Atque si pestilentissimum isthoc Idolum ab iis olim positum, qui lignis, ac lapidibus incredibili dementia, ac teineritate augustissimum Divinitatis nomen, ac Virtutem passim attribuebant, orbis adoraret Christianus, esset fortasse, cur minùs insanire videretur; verùm cum ipse nullo eorum exemplo & aras erigat, & thus adoleat, quo se aut tueatur, aut ignominiz partem quò derivet, non habet. Illis enim, qui facile triginta DEOrum millia scelestis coluère honoribus, Ignota fuit *Dea Gloria*: Templum HONORI statuerunt: sed in cujus pene-
F 4
tralia

tralia ingredi nemo posset, nisi quem meriti flores arduæ per Templum *Virtutis* induxissent. Soli tum hæc Virtuti prærogativa dabatur, ut ad Honores nemo, nisi rebus domi, forisque præclare gestis eniti aut auderet, aut posset. Quis autem non videat præposteram hanc Gloriæ appetitionem à Virtute omni longissimo abesse intervallò. Ab illa siquidem abest *Prudentia*, quæ docet finem Creationis esse respiciendum, ut omnis nostra actio eò dirigatur, ac collimet, ut illi Domino serviatur, ex cujus manibus vera, ac sempiterna felicitas nostra dependet. Quid dementius? immolare diabolo ea, quæ sempiternis præmiabit suppliciis? Abest *Temperantia*, qua sic frændendus, ac moderandus erat Gloriæ impetus, ne nos in devia abriperet, &

apud

apud æquos judices immodica
 illa Gloriæ voluptas, ac elatio
 plus venti, quàm cerebri suis ama-
 toribus impingeret. Abest *For-*
titudo: hæc enim verò verâ viâ
 nititur ad Gloriam, non illam
 quærendo, sed contemnendo,
 aut ad DEum referendo, cujus
 armis, & numine pugnamus, vin-
 cimus, triumphamus. Hæc est,
 quæ nihil humile molitur, nihil
 arduum formidat, rerum futilium
 imperat despicientiam, invictam
 laborum docet perpeffionem.
 Gloria est Gloriam vincere, à qua
 laude tantùm abest, qui Gloriâ tan-
 quam equô indomitô raptatur,
 ut illius mancipium jure dicendus
 videatur. Quid plura? abest de-
 nique *Justitia*: dum Gloriæ ama-
 tor DEI dona sibi sic vendicat, ut
 furetur aliena, atque instar corni-
 culæ alienis sese plumis efferat
 info-

insolentiùs & DEO injurius, &
 hominibus: fructum laudis totum
 ad sese derivet, quod multorum
 sæpè adminiculò fuerat compara-
 tum. Post omnia præclara cum lau-
 de gesta Germano Christi sectato-
 ri satis fuit *Servum inuizilem* sese ap-
 pellare, & Gloriam Creatori red-
 dere, qui dat Victoriã: Hæc est
 Gloria nostra, testimonium consci-
 entiaë nostræ; hæc pax è cælo al-
 lata; hic fructus, ac vectigal Justi-
 tiaë, hoc emolumentum, hoc so-
 latium sudorum, si vero DEO con-
 secrata isthæc femina coronarum,
 centesimum nobis æternæ merce-
 dis cumulum aliquando impor-
 tent. Scelestum hoc Gloriæ ido-
 lum in ipsa Servatoris nostri OPT.
 MAX. schola vafer hostis erigere
 parabat, cum aliquando inter do-
 mesticos (futura quondam Orbis
 terrarum lumina) disceptatio for-
 tè

tè emergeret: *Quisnam videretur
eorum esse MAJOR?* At enim quid
Christus ad subdolas illas Diaboli
machinas? nec auribus quidem
sustinere voluit, ne scilicet Chri-
stianas inter familias eminentiæ,
ac tumoris aliqua scintilla, ac du-
ellorum sese materia misceret, un-
de in mutua viscera digladiaren-
tur, quos adamantinâ charitatis
vinculô colligari oportebat; ad
quod impetrandum, humanæ Glo-
riæ altitudinem sic vestigiis prote-
rendam esse monebat, ut, qui in
nobis eminentior esset dignitate,
is sese infra omnes modestiâ de-
mitteret; cujus eruditionis ipse
omnium maximus documenta tot,
tantâque dedit, ut pudeat Christi-
ano gloriari nomine, qui post illu-
stria crucis spectacula, Idolum
Gloriæ in animo, domo, familia
erigere, ac de excellentia lite de-
cernere tentet.

Quid

Quid igitur est, quod execrandum hoc Gloriæ Idololum adhuc incolume patiamur? quid? plus ne hæc operum nostrorum pestis, ac ruina, quam saluberrimum Christi Servatoris exemplum in animis nostris potest? quin agamus, nefandum Gloriæ simulacrum conculcetur apud milites in castris, evertatur apud mulieres in palaciiis, apud Academicos in Lycæis etiam memoria æternum obli-
 retur. Milites induantur non aurô, sed ferrô; spectacula fæminarum sint ornatus Virtutum Christianarum; Gloria Academicorum germana, ac propria, sit Sapiencia. Idololum Gloriæ, si conspexerimus in Templis, fugiamus; si in palaciiis, conspuamus; si in castris, timeamus: ne Gloriam lachry-
 mæ sequantur.

O. A. M. D. G.



